


[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16



1622,

1. Fomannus, Orthalphus: De sequestratione.
2. Fomannus, Orthalphus: De jure accrescendi.
3. Fungius, Serranus: De rei vindicatione
4. Oldewip, Justus: De jure et privilegiis non appell.
laudi
5. Rentes, Johannes: De crimine (caesae) majestatis.
6. Schroeterus, Petrus Elias: De legitimations libero.
rum naturalium, eiusq. speciebus et legitimatrum
successione.

1623.

1. Fomannus, Orthalphus: De pacto retrovendendi
2. Fomannus, Orthalphus: De jure sistendi non se
arrestis
3. Riemerus, Valentinus: De necessaria defensione.
4. Theodorium, Petrus: De regibus.

1624.

1. Thomaeus, Dominicus: De saluberrimo l. 2 C. de reserud-
vendi. hoc maxime seculo controverso, remedio
2. Thomaeus, Ursulpus: De jure emphyteutico.
3. Thomaeus, Ursulpus: De iudicio, civili, ejusdemque
modi procedendi ordinario.
4. Thomaeus, Ursulpus: De delictis privatis.
5. Himmelius, Georgius: De obligationibus in genere
6. Neustadius, Henricus: De furto.
7. Inerius, Johannes: De majestate in genere et in specie
De majestate reali.


1625.

1. Thomaeus, Ursulpus: Disputatio inus. ad § 1. leg. C.
de quaestioibus.
2. Frantzkeus, Georgius: De solutionibus in specie.

1625

3. Theoricum, Petrus: De renunciationibus ..





4741.

M

Conclusiones 1623, 1 7

De

PACTO RETRO- VENDENDI,

Quas

DEO OPT. MAX. ADJUVANTE

*Auctoritate & decreto Magnifici Jctorum Ordinis
in celeberrima Academia JENENSI,*

PRÆSIDENTE

Magnifico, Amplissimo & Consultissimo VIRO

Dn. ORTOLPHO FOMANNO

Jcto, P.P. Facultatis Juridicæ Ordinario, Curia

Provincialis uti & Scabinatus Adessore me-

ritissimo &c.

Pro Summo in Utroq; Jure Gradu

consequendo

Publicè examinandas proponit

JOHANNES HEIGIUS.

ad diem 12. Julij.

J E N Æ

Typis STEINMANNIANIS.

Anno M. DC. XXIII.

6





*Magnificentissimo, Antiquâ domo Generoso, Vir-
tuteq; propriâ Nobilissimo ac Strenuo
Domino*

CASPARI à Schönbergk
in Pulsnitz & Gurgka / Senatus Electoralis Saxo-
nici Secretioris DIRECTORI meritissimo,
Judicii que Appellationum PRÆSIDI
gravissimo,

*Domino meo æternum suspi-
ciendo*

Disputationem hanc meam
inauguralem

offerò & consecro

JOHANN. HEIGIUS,



Præloquium.

Contractuum omnium, qui in commutatione rerum officiorumque versantur, & quibus hæc vita carere nequit, nullus reperitur usitator Emtione-Venditione. *Barnab. Briffon. de form. & solen. Pop. Rom. verb. lib. 6. in pr. cui tamen, sicut & aliis contractibus, adjici solent pro cujusq; usu & necessitate pacta quædam peculiaria, inter quæ facilè principem locum tenet Pactum vulgò de Retrovendendo appellatum. Quod sanè cum frequens sit, & materiam contineat amplissimam & pulcherrimam, ubi quotidie plurimæ & ambigæ incidunt quæstiones. Ludolph. Schrader. de emt. vend. num. 149. Fr. Cardin. Mant. Vatic. lucubr. lib. 4. tit. 31. num. 3. ideò nos illud Deo Trino & Uno Auspice ac Duce sub disceptationis incudem hoc tempore vocare decrevimus.*

CONCLUSIO I.

Acti hujus, quo de agere instituiamus, Sedes Ordinaria constituitur, ejusq; fortissimum præbet argumentum Rescriptum Alexandri Imperatoris in L. si fundum. 2. C. de pactis inter emtorem & venditorem compositis. *Licet autem Verba Legis de Restitutione fundi loquantur, & ideò perperam quibusdam de pacto Revendendi hic videatur tractari, uti post Phil. Corn. senserunt Hieron. Cagnol. hic. num. 12. Ludov. Gozadi. num. 28. 30. Joh. Coraf.*

*Dispositio hujusmodi signat
L. 2. C. de pacto inter emt.*

Coras. lib. 3. misc. c. 9. Anton. Faber dec. 22. error. pragm. 3. Joh. del Castillo c. 25. quotid. controv. num. 30. & seqq. Giphani. de pact. axiom. 248. *Tamen contrasentientibus* Petro de Moncada ad Gozad. d. loc. *cum reliqua Interpp. familia & Ar. Pinello ad L. 2. C. de resc. vend part. 2. c. 3. num. 27. Petr. Costal. in L. si vir uxori, 12. de præscr. verb. Fr. Cardin. Mantic. de tacit. & amb. convent. lib. 4. tit. 31. num. 3. melior hæret sententia, nullam in iisdem rebus verborum faciendam differentiam. Nec enim mutat substantiam rerum non necessaria verborum multiplicatio L. pediculis. 32. §. La-beo. 5. de aur. & argent. leg. L. un. C. ut act. ab hæred. L. recepticia. 2. in fin. C. de constit. pecun. L. si quando. 35. C. de inoff. testam. L. ult. de donat. L. non rectè. 3. C. de fidejussor. *Et magis res quam verba sunt intuenda* L. promittendo 41. D. de jur. dot. *cum rebus, non autem verbis leges sunt impositæ.* L. 2. in fin. C. commun. de legat. L. scire leges. 17. D. de legib. *Ergò & hæc subtilitas à judici-bus admitti non debet, ut loquitur* JC. in L. sicut. 8. §. si debitori. 11. quib. mod. pign. vel hyp. solv. Gl. in tit. Episcopum vel Abbatem. 6. lib. 1. feud. verb. feudum remittere non potest. lit. C. *Præsertim cum constet Novæ Romæ conditoribus Augustis verborum obliquo-rum & directorum differentiam aliis quoq; in articulis juris displi-cuisse* L. omne. 2. C. commun. de legat. §. 1. Inst. de legat. L. ult. C. qui admitt. ad bonorum poss. L. omnes stipulationes. 10. C. de contrah. & comm. stipul. L. blanditus. 12. C. de fidejussor. L. unic. C. de dedit. libert. toll. L. unic. C. de nu. jur. quirit. toll. tot. tit. C. de form. & impetr. sublat. cum similib. *Prudenter etiam M. Tullius in Orat. pro A. Cecinnâ inquit: Quæ lex, quod Sctum, quod magistratus Edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (ut ad pri-vatas res redeam) testamentum, quæ judicia aut stipulationes, aut Pacti & conventi formula non infirmari aut convelli potest, si ad verba rem desletere velimus: Consilium autem eorum qui scripse-runt, & rationem, & auctoritatem relinquamus? Sermo herculè & familiaris & quotidianus non cohærebit, si verba inter nos aucu-pabimur. Et, ut ad rem accedamus propius, si obligatio hæc Resti-tuendi ex Pacto nata fuit mediante venditione. Ergò & dissolutio ejusdem eodem modo fieri debet.* arg. L. nihil tam naturale. 35. de R. J. L. prout. 80. de solut. *Si deniq; lex præsens servire Rubricæ suæ, uti solet quævis alia, debet* gl. c. potuit loca. gl. c. 1. de offic. del. li. 6. *certè**

certè & de restitutione per venditionem celebrandâ intelligi debet. Quemadmodum & aliàs hoc verbum pro subjectâ materiâ capitur L. qui restituere. 68. de rei vind. L. plus est in restitutione. 21. L. restituere 75. de V. S. tot. tit. C. de Inst. & subst. & restit. sub condic. fac. Itaq; sono licet Verborum, quod de pignore & hypotbeca dicebat Marcianus Ictus, differant, in re tamen nihil interest.

II.

De Nomine verò porrò sciendum Revendendi vocabulo, uti Ulpianum in l. Julianus. 37. de bon. libert. Gaium in l. cum patronus. 22. §. 1. de oper. libert. unde & Reveneo in L. lege 5. de L. commisso. Transcribendi verbum usurpatur in L. si vir uxori. 12. de præscr. verb. De Pacto Redimendi est text. in l. is qui. 4. §. 1. de manumiss. Sic in eodem significatu usurpatum reperitur vocabulum Reciperandi in L. si creditor 7. de distr. pign. Recipiendi in L. si cum venderet. 13. de pign. act. L. 1. C. quando decr. opus non est. Nec injuriâ Fiduciarium venditionem possumus appellare. Rectè enim præter Guil. Budæum & Tiraquell. Fr. de Caldas in L. si curatorem. verb. suâ facilitate. C. de in integr. rest. num. 58. & Fr. Hotom. in com. feud. ad tit. de feud. da. in vic. Lis commisso pag. 304. adserunt, antiquam fiduciam nihil aliud fuisse, nisi venditionem, quam vulgò cum Redimendi facultate factam appellamus, & constat à Veteribus ita hanc vocem usurpatam, ut cum sub fide restituendi in casum aut eventum aliquem res daretur fiducia contra-ctâ intelligatur. Dd. vulgò vocant Pactum de Retrovendendo, item Pactum Relutionis. Alij Retractum peregrinâ & ad Latinam inflexâ voce nominant, ut Gallicarum consuetudinum commentatores Andr. Tiraquellus, Arnol. Ferronus. Prætereo hoc loco multa vocabula barbara, quibus à Dd. hinc inde solet nominari. Nobis dicitur Ein vorbehaltener Wiederkauff / Anpot / Ablösung. Mart. Pegius lib. de hoc pacto singulari. Johan. Ruding. & Paul. Matth. Wener. in observ. pract.

III.

Adprobari hoc Pactum de Jure Civili, expeditum est per d. L. si fundum. 2. C. de pact. inter empt. & vend. L. si vir uxori. 12. de præscr. verb. L. qui fundum. 75. de contrah. emt. L. si sterilis. 21. §.

A 3

si tibi

Non Novum de pactis

*Si tibi fundum in d. l. si vir uxori
de pactis inter empt. & vend.*

si tibi fundum. 4. de act. emt. L. is qui. 4. §. 1. de manumiss. L. jurisg. 7. §. si paciscar. de pact. quia pactum est de re familiari, & legibus non improbatum, ideoq; servandum. d. L. jurisg. §. ait Prætor. tot. tit. C. de pact. int. emt. & vend. compos. De Jure Canonico num valeret hoc Pactum quidam olim religiosiores dubitasse videntur. Sed huic dubitationi satisfacit ex parte c. ad nostram. R. de emt. Maximè verò Extravagantes duæ sub tit. de emt. & vend. Nec mirum; cum Jure Divino. omnis sub hac lege fundotum emtio perageretur, Levit. c. 25. quamvis non eo modo, quod præsertim fructuum imputationem attinet. Sed cum Judicialis ea Lex sit, non moralis, nos non obligat Tiraqel. de retr. conv. §. 4. gl. 2. num. 6. Habet tamen & Lex divina quod observatione sit dignum Joach. Steph. de politia Jud. c. 10. Phil Melanth. in Ethic. f. m. 132.

IV.

Definimus Conventionem inter emtorem & venditorem, ut, si venditor precium quandocunq; vel intra certa tempora offerat, res vendita restituatur. Generis loco ponimus Conventionem. Nam utrumq; verbum Pactum & Conventio nomen generis & speciei pro re nata induit, cum his promiscuè Jcti utantur. L. 2. L. jurisg. 7. de pact. L. solent. de præscr. verb. Pactum, inquit Cic. est, quod inter aliquos convenit, quomodo & Ulp. conventionem per pactum definit. L. 1. & §. 1. de pact. Sic & in L. pactum dotale quo convenisse. & rubr. C. de pact. convent. L. fin. C. de pact. int. emt. L. 1. C. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. Reliqua ex d. L. si fundum. 2. sunt manifesta.

V.

Tantum de præparatoriis & definitione: Nunc ad Personas, quibus hoc jus redimendi ex pacto competit, deveniamus. Habent autem hanc facultatem oblato precio rem redimendi non tantum. Is qui ita cum emtore pepigit: Sed etiam Heredes, quamvis eorum mentio facta non est, Nisi aliud actum appareat. Et proferri ad probationem vulgò solet. L. si pactum. 9. ibi: quia plerumq; tam heredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus. de probat. L. si necessarias. 8. §. de vendendo. de pignor. act. Tiraq. de retr. conv. §. 1. gl. 6. num. 1. cum ibid. relatis. Fr. Zoanet. in h. l. 2. n. 6. Fr. Cardin. Mantic.

Definitio

*Non de præparatoriis
sed de rebus*

Mantic. de tacit. & amb. conv. li. 4. tit. 32. num. 17. & seq. Deinde maximè facit Ratio : Quòd condicionibus ex potestate nostrà vel casu pendentibus parère utiliter promissoris, vel eas implere stipulatoris heredes, extra quam si aliud actum sit, possunt. §. ex condicionali. Inst. de V. O. junct. §. cum quis. fin. Inst. de inut. stip. L. veteris. 13. C. de contrah. & comm. stipul. L. ult. D. de condic. instit. & faciunt L. si prædio. 15. de in diem addict. L. necessariò. 8. de peric. & commod. rei vend. L. 4. de contrah. stipul. L. diem. 27. §. 1. de recep. arb. Jac. Cujac. in L. si quis si Titius. 57. de V. O. Philipp. Custofius ad L. unic. C. de his qui ante aper. tabb. axiom. 77. quos sequitur Parens meus beata. mem. Petr. Heigius in comment. ad d. §. ex condicionali. Inst. de V. O.

VI.

Et si autem Communiùs placuerat, Potestativam condicionem ad Heredes non transmitti, & sic facultatem implendi condicionem heredi non permittendam, multosq; mirè torsit Responsum] Cti Scævola in L. qui Romæ. 122. §. Agerius de V. O. Hoc tamen nobis officere non debet. Vidit enim Scævola se consuli de re non admodum ambigua, quia constabat ex iis quæ proponebantur condicionem extitisse, ideò respondit obliquè: Si condicio non extitisset, stipulationem non esse commissam. ac denotat ita, quia in presenti specie omninò extitit condicio, stipulationem verè commissam esse. Nam cum dictio Si verè est condicionalis, & verbum extitisset præteriti plusquamperfecti, non alia nec magis propria hujus sermonis significatio est, quam ut intelligamus condicionem extitisse. Idemq; est ac si dixisset] Ctus: Nisi condicio extitisset, stipulatio commissam non esset. aut: Stipulationem esse commissam ex eo, quòd condicio extiterat. Nec mirò similes locutiones apud bonos Auctores prolatas videmus, & refert Covarruv. li. 2. pract. quæst. c. 39. in edit. noviss. num. 5. Quapropter non opus erit, ut cum Interpp. respondeamus, hinc colligi: Potestativam condicionem ab herede non posse impleri, contrarium enim suprà demonstratum est. Cum Duareno autem & Giphano dicere de Jure tantum respondere Scævola, facti questionem judici relinquere, minus probabile, quamvis alicubi id factum ab illo constat. Indignius erit, si cum Fr. Connao dixerimus, ambiguus illum responsis sese à repreben-
sione

Just. inst. de fidei
inst.

sione semper texisse, eod³ non solum dignum reprehensione, sed & pœ-
nâ duci debere, hujusq³ §. n. sententiam absurdam, fatuam & ine-
ptam esse. Nam summum Scævola ingenium (uti laudatur à
Claudio in L. à testatione. 108. de condi. c. & demonst.) & præ-
clara erga hæc studia merita meliora merebantur elogia, & nobis
potius hoc agendum est, ut Jctorum & Præceptorum sententiam
benè excusemus, ut facit Cassius JC. in L. qualem. 19. §. ult. de rec.
arb. aut, ubi manifesta est reprehensionis causa, decreto ista tempe-
rari expetamus, ut facit Julianus JC. in L. Salvius 6. D. de legat.
præstand. quam, ubi quod primâ fronte durius videtur, omninò re-
pudiemus, cum præsertim pro lege esse debeat. Pessimè etiam Ca-
strensis d. §. Agerius. decisionem naturali rationi repugnare testatus
est; undè per motum Granatensis Pratorij Senatuum in judicando
eam repudiasse refert Eman. Costa Hisp. li. 2. select. Interpp. circa
condiciones. c. 23.

VII.

*Quemadmodum autem Conditio potestativa: ita quoq³ fa-
cultas Redimendi ad heredes transmittitur sub hac Exceptione:
Nisi aliud actum sit, ut suprâ diximus. Nam sit alis conditio est,
que personam solam facientis spectat, à personâ non receditur: Si
verò non tam persona dantis vel facientis, quam opus aliquod spe-
ctatur, ubi finis stipulationis opere cernitur non operâ, tùm nihil re-
fert à quo detur aut fiat. Cujac. in. L. si quis si Titius. de V. O.
Petr. Heig. ad d. §. ex condicionali. Inst. de V. O. num. fin. Cardin.
Mantica de tac. & amb. conv. li. 4. tit. 32. num. 21. Sic aliud actum
intelligitur si dictum sit: Venditori tantùm sive Soli venditori &
non alii rem venditam restituto precio redimere liceat. L. non so-
lùm. 8. §. tale. 3. de liberat. leg. L. aurelio. 20. eod. L. servus si heredi.
34. de stat. lib. & dictio taxativa dicitur extensionis exclusiva, &
implicitam habet in se negativam, quod aliter fieri non possit. Ca-
mill. Gallin. lib. 8. de verb. sign. c. 18. num. 15. Tiraq. de retr. conv.
§. 1. gl. 6. num. 2. cum seq. & num. 25. Fr. Card. Mant. d. lib. 4. tit. 33.
per tot. Fr. Zoanett. in d. L. 2. C. de pact. int. emt. num. 12. & seq.
Seb. Medic. in tr. mors omnia solv. part. 3. num. 98. Aym. Craver.
de antiq. temp. part. 4. num. 110. Borgni. Cavalcan. decis. Fiviz.
16. part. 2. num. 5. Hartm. Pistor. observat. 154. Nec minus & tunc
aliud*

aliud actum intelligitur, cum solum Nomen proprium venditoris expressum est. L. cum ita datur. 94. §. 1. D. de condic. & dem. L. ult. C. de hered. Inst. quod aliam habet significationem, quam si Appellativum exprimas, aut Proprium nomen Appellativo jungas. d. L. cum ita datur. L. qui heredi. 44. in pr. de condic. & dem. L. Lucius. 37. de servit. rust. præd. L. si servus communis de stip. servor. Mantic. de conject. ult. vol. li. ii. c. 17. num. 25. Tiraq. d. lo. nu. 24. Donel. ad d. L. 2. C. de pact. int. emt. n. 16.

IIX.

Sed non raro queritur: Si plures rem sub Pacto Redimendi vendiderunt, an unus eorum partem precij offerens partem rei vendita redimere possit? Negamus. Cum enim pluris valeat plurisq; ematur totum in toto, quam pars respectu rei. L. Mævius. 66. §. in fundo. de leg. 2. nec tanta utilitas sit & estimatio rei in parte respectu ipsius partis, quanta in toto respectu totius. L. si quis aliam. 46. de solut. L. Mævius. 52. §. ult. fam. erisc. ideoq; sanè emtor rem non emisset, nisi & totam consecuturum se consideret, & rursus in revenditionem consensisse non videtur, nisi ut & totam quemadmodum accepit, revenderet. Talisq; mens contrahentium in jure attenditur. L. cum te. 6. C. de pact. int. emt. L. quod autem. 11. §. fin. cum duabus. LL. seqq. de in diem addict. L. si plura. 36. L. cum ejusdem. 34. & seqq. L. ædiles. 38. §. cum autem. 9. de ædil. edict. d. L. si quis aliam. 46. de solut. L. cum plures. 72. de evict. L. tutor. 47. §. curator. de minor. L. si duos. 44. de contrah. emt. Contractus etiam sequens secundum præambulum intelligatur. L. Titia. 134 §. idem respondit. de V. O. ac ex primordio tituli posterior formetur eventus. L. unic. C. de impon. lucr. descr. li. 10. facit L. cum ususfr. 13. de usufr. lega. L. fistulas. 78. §. qui fundum. de contrah. emt. Deinde si partem redimere liceret, incideret emtor in communionem difficilem & molestam, ad quam nemo compellendus est. L. si non sortem. 26. §. si centum de cond. indeb. L. cum pater. 77. §. dulcissimis. de leg. 2. L. meminimus. 2. C. quando & quib. quarta pars deb. li. 10. Deniq; obligatio hoc loco in stipulatoris personâ est individua, quia nempe ad nudum factum agitur quod promissum est. Conventio enim est hîc de vendendo fundum, ut rectè Moncada ad Gozadi. Scurff. cons. 5. cent. 2. nu. 2. 3. Quinimò condicio

B

seu

*Hanc definitionem
de. Hoff. in Hoff. ad
Mon. in deo. supra.*

seu facultas, qua consistit in faciendo simpliciter vel dando simul, quando ponitur in persona duorum, non potest implere per unum eorum in parte. L. si ita fuerit. 13. in pr. & §. hæc quæstio. de manum. testam. & conditio facti individui scindi non debet. Hæc q̄ Sententia Communis ab Alexandrino, Alciat. & aliis cum veteribus tum recentioribus dicitur, & firmat eam Joh. Roncheg. in L. eandem. num. 63. & seqq. de duob. reis. Bologn. in L. stipul. non divid. 72. num. 121. de V. O. & in L. 4. §. Cato. num. 271 & se. eod. Joh. Bapt. Costa tr. de quota & rata. quæst. 135. num. 4. Fr. Card. Mantic. li. 4. Vatic. lucubr. tit. 32. num. 28. & se.

IX.

Idemq̄ dicendum existimamus: si plures sunt unius venditoris Heredes, ubi similiter unum partem suam offerentem ad partis redemptionem non admittimus. Nam non diverso jure censentur plures venditores & heredes, quemadmodum hi casus conjunguntur in L. quod si nolit. 31. §. Marcellus. de ædil. edict. idcirco in pari causa par jus constituendum L. illud. 32. ad L. Aquil. Nec immutatur ex personâ heredum condicio obligationis L. 2. de V. O. L. cum in plures 60. §. heredem. 1. D. loca. L. cui fundus. 56. de con. dic. & dem. Imò quod in pluribus venditoribus difficilius admittitur, in heredibus facilius concedetur, ut patet ex Gomez. de individ. circ. fin. vers. septimò infero. Roncheg. in d. L. eandem. de duo. re. num. 88. Deinde quoniam restitutio rei etiam inter heredes promissoris nunquam dividitur, ubi ea divisio non potest contingere sine injuria creditoris. L. 5. §. ult. de V. O. ideòq̄ multò minus obligatio & actio inter heredes stipulatoris aut creditoris dividi potest, si ea res sine injuriâ promissoris contingere non potest, quia favorabiliores sunt rei quàm actores L. favorabiliores. de R. J. Incommoda autem communionis in preced. conclus. diximus. Donell. ad d. l. 2. C. de pact. int. emt. num. 14.

X.

Si verò ex pluribus venditoribus, aut unius Heredibus Unus totum precium reddere paratus est, nec eum absq̄ reliquorum scita admittendum opinamur. Non enim audiendus est qui petit quod sibi non debetur, aut agit ubi actionem non habet, & quoniam unus ex ven-

Idemq̄ dicendum existimamus: si plures sunt unius venditoris Heredes, ubi similiter unum partem suam offerentem ad partis redemptionem non admittimus.

fort. solum.



venditoribus aut heredibus non habet, nisi partis, qua ad eum per-
tinet, vel in quam successit, actionem. L. eadem. 4. §. ult. de V. O.
igitur repellendus à iudicio. L. si pupilli. 6. §. ult. de neg. gest. Ac-
cedit, quod si res pluribus est praestanda omnium consensu id fieri de-
bet. L. receptum. 1. §. commu. praedio. L. per fundum. 11. de serv.
praed rustic. quamvis etiam actio in solidum singulis ex iis compe-
tat juxta L. 2. §. ex his. de V. O. quemadmodum & de hoc contractu
emtionis probatur in L. quod si nolit. 3. §. si plures de edil. edict.
Tribuitur haec opinio Paul. de Castr. in L. si quis aliam. de solut.
Alcia. & Crot. in L. 4. §. Cato de V. O. sequiturq; Eman. Soarez ad
Gomez. de individ. in fin. Donell ad d. L. 2. num. 15. Ronchegall^o
etiam in d. L. eadem. num. 114. hanc sequendam ingenuè fate-
tur, si veritatem quam prejudicatam Auctorum opinionem sequi
malimus.

XI.

Is etiam qui facultatem redimendi ex pacto habet jus hoc al-
teri Cedere non prohibetur. Quia certo jure receptum est; jura ne-
dum realia, sed & personalia in alium à nobis transferri posse. L. per
diversas. 22. C. manda. tot. tit. de hered. vel act. vend. quorum bene
longum pertexuit catalogum Andr. Tiraq. de retr. lignag. §. 26. gl. 3.
num. 1. & seq. ut qui cessionem hoc casu prohibitam vult in specie
eam interdictam debeat probare. Stat enim regula in dubio eam
permissam, idq; etiam in his qua per modum facultatis alicui ex
pacto competunt. L. 1. §. usufructuari^o. fin. de nov. op. nunc. L. 1. §.
item Juliano. de remis. L. quod si in diem. 16. §. Julianus. de petit.
hered. L. quod saepè. §. 35. si res vendita. de contrah. emt. L. quod
si minor. 24. in pr. de minor. Constat etiam non tantum presentem
actionem, sed & eam, qua speratur ex debito condicionali, cujus nec
venit nec cessit dies, aliis vendi posse. L. nomina. 17. L. multum in-
terest. 19. de hered. vel act. vend. Deniq; dicitur: Quicquid est
transmissibile, idem est & cessibile, quamvis non è converso. L. si sti-
pulus. 76. ubi Alex. Jaf. & Dd. de V. O. L. ex pluribus. 42. de
admin. tut. Tiraq. d. lo. Zoan. hic. num. 7. & se. & nu. 25. Petr.
Greg. Tholoz. syntagm. ju univ. li. 26. c. 18. num. 2. Jos. Ludov. de-
cis. 47. per tot. Rol. à Vall. cons. 28. vol. 2. Alex. Trentacinq. lib. 3.

B 2

resol.

*del. Faust. hanc prohibet
resol.*

resol. 10. num. 5. Car. Molin. ad'consuet. Paris. tit. 1. §. 13 gl. 1. in
verb. le seigneur foedal. num. 20.

XII.

*Haecenus de Venditoris Personâ; cui facultas Redimendi com-
petit, verba fecimus. Eam excipit Persona Emtoris, quæ rem cum
hoc pacto comparatam revendere tenetur. Et hic venit non tam
Is qui rem hac lege in se transcribi passus est; quàm Heres ipsius, si
nihil in contrarium actum est. Text. est expr. in d. L. 2. ibi. heres
emtoris ubi Petr. à Bellap. C. de pact. int. emt. & generaliter hac est
natura omnium pactorum & contractuum, ut ad heredes tam acti-
vè, quàm passivè transeant. L. si pactum. 9. de probat. L. & heredi. 21.
in fin. de pact. L. ex depositi. 12. de obl. & act. tot tit. ut act ab her.
& contra. L. stipulatio ista, 38. L. eum qui. 56. §. te & Titium. 1.
de V. O. L. veteris. 13. C. de contrah. stipulat. Imò omnis obligatio
magis transitoria est ex parte promittentis, quàm ex parte stipu-
lantis. Bart. in L. 4. §. Cato. de V. O.*

XIII.

*Nec refert, etiam si Heres sit Minor 25. annis. Non enim decre-
to opus est, cum ex pacto & obligatione ejus cui successit retrovende-
re tenetur, itaq; nihil amittere videtur. L. non videntur 83. D.
R. J. L. 1. L. prædium. 3. C. quando decreto opus non est. Et hac
alienatio non fit spontè. L. sed si pecunia. 3. §. item quæri. D. de reb.
eorum qui sub tut. sed causam habet veterem & necessariam. L.
alienationes. 13. fam. ercisc. L. fistulas 78. §. fundum. D. de con-
trah. emt. L. magis puto. 5. §. si pupillus. 3. D. de reb. eor. & facit
L. voluntate 10. D. quib. mod. pig. vel hyp. solv. Pinel. in L. 1. par. 3.
num. 24. & num. 51. C. de bon. mater. Joh. Bapt. Costa de ration.
rat. q. 135. num. 22. & seq. Deinde contrahens ex necessitate praece-
dentis obligationis non dicitur propriè contrahere, sed magis fidem
absolvere & obligationem implere. L. si tibi pecuniam. 20. si certa.
petat. Deniq; vulgò dicitur: Resoluto jure datoris vel conceden-
tis solvitur etiam jus accipientis. L. peto. 68. §. prædium. de leg. 2.
L. Staius 48. in fin. de ju. fisci. L. Titia. 19. in pr. de annu. leg. L. 15.
§. 1. L. 29. de usufr. lega.*

XIV.

XIV.

Quin & si Minor ipse in emtione alicujus rei adponit pactum de Retrovendendo, perinde ut ab aliis avocari ea rectè potest. Non enim omnia à minoribus gesta statim rescindenda sunt, nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut tam negligenter in causa versati sint, ait Paulus J.C. in L. quod si minor. 24. §. non semper. i. de minor. Itaq; quemadmodum contractus principalis ratus esse jubetur: sic & hoc pactum, quod pars illius censetur. L. fundi partem. 79. de contrah. empt. Imò verò sine quo venditor contracturus non fuisset. L. si quis aliam. 46. de solut. L. cum ejusdem. 34. de edil. edict. L. 6. & L. ult. C. de pact. int. empt. Nec licebit minori contractus ejusdem partem adprobare, partem improbare: sed condicio defendenda: aut in totum eam agnoscere, aut à toto recedere, ut scriptum est in L. cum quæritur. 16. de admin. & peric. tutor. L. tutor. 47. §. i. de minor. Adcedit: quod minore emente valet pactum Additionis in diem & lex Commissoria, quibus emtio ipsa resolvi potest, & res à minore auferri. L. si in emtionem. 35. de minor. L. Æmilius. eod. ubi ex causa lesionis conceditur minori restitutio, & consequenter præsupponitur contractum valere, ut docet Imperat. in L. 2. & L. si quidem. 11. C. de præd. minor. & J.C. in L. causæ de minor. Hancq; Jac. Butrigarii sententiam veriorè testatur Fr. de Caldas ad L. si curatorem. verb. contractum fecisti. num. 9. C. de in integr. restit. æquiorè dicit Ar. Pinel. in L. 1. part. 3. num. 53. C. de bon. matern. Octav. Simoncell. de decret. li. 2. tit. 6. n. 11. & seq.

XV.

Quod ipsum etiam in Ecclesiâ hoc pacto emente recipimus. Ecclesia enim utitur jure Minoris c. 1. c. auditis. de in int. restit. Guilh. Redan. de reb. Eccl. non alien. q. 17. nu. 34. & q. 20. nu. 156. Nec non servandū omninò puctū resolutivum in Ecclesiâ respondet textus in c. verum. de condic. appof. c. Pontifices. 12. quæst. 3. Imo contrarium dicere esset longè iniquum & perniciosum. Auferret enim res suas hominibus contra fidem conventionis, quod dici non debet L. 1. §. si convenit, depos. L. in commodato. 17. §. sicut ibi: non decipi beneficio oportet. commod. & locupletaretur Ecclesia cum alterius jacturâ, quod justitiæ & naturali equitati

More die huc unum hujus
solut. si quis aliam
num. 9.

quod hanc fuisse mensuram
hujus

maximè contrarium est L. nam hoc natura. 14. de condic. indeb. L. jure naturæ. 206. de R. J. c. locupletari. eod. in 6. Ecclesia vero veluti cultrix & auctrix justitiæ pati non debet contra justitiam aliquid fieri in se vel in alium c. 1. §. sed diversum. de alienat. feud. in usib. feud. Unde benè Everhard. in top. loc. à libertate ad piam causam nu. 35. ita favere debemus piæ causæ, ut aliis injuriam non faciamus, per c. ex tenore de foro comp. & cavendum, ait, ne sub pretextu religionis graventur & fraudentur pauperes subditi Cesaris. Quare omninò privilegiati intra terminos privilegii se continere debent c. porro. c. cum capella. ext. de privil.

XVI.

Porro circa Heredes Emtoris quæri solet, quatenus ex pluribus singuli teneantur? Eosq; pro portionibus tantum hereditariis ad fundi restitutionem teneri adseveramus. Quia actio personalis, quæ hinc datur, inter heredes emtoris dividitur, & proinde sequitur tantum personam singulorum pro ea parte, qua in obligationem successerunt L. 2. C. de hered. act. L. heredes. 25. §. an ea. D. fam. ercisc. to: tit. C. si unus ex plurib. hered. cred. vel deb. par. suam deb. solv. Deinde, quoniam ex parte stipulatoris dividua dicitur obligatio, ut heredes ipsius non possint agere nisi pro parte: Ergò nec conveniri promissoris heredes nisi pro hereditariis partibus Bologn. in L. 4. §. Cato. nu. 269. L. si tibi homo. 86. §. si fuudus. 3. de lega. 1. L. 1. C. si cert. peta. Adcedit, quod cum simpliciter fundum mihi tradi stipulor, stipulatio est dividua, & unus ex heredibus partem suam hereditariam solvendo liberatur, ut tandem concludit Caro. Molinæ. in extric. labyr. par. 2. q. 2. Quinimò in factis promissis non factum quidem ipsum, sed effectus facti h. e. id quod interest in obligatione vel prestatione versatur Joh. Yanez. Parlador. lib. 1. rer. quotid. c. 6. Et hoc respectu, quemadmodum ait Celsus in L. stipulatio non divid. de V. O. dividua quodammodo facti obligatio fit, non debent igitur heredes deterioris conditionis esse, quam defunctus fuit L. qui in jus. 177. de R. J. Atq; hanc Angeli & Jo. de Platea sententiam sequitur Donell. in d. L. 2. C. de pact. int. emt. nu. 16. in fin. cum seq. & in L. stip. non div. 72. nu. 57. de V. O. Petr. Costal. in L. si possessor.

essor. 55. de rei vind. Fr. Ripa in L. 4. §. Cato. nu. 20. & se.
Hartm. Pist. li. 1. quæst. 21. in fin.

XVII.

Hocq³ verum existimamus, licet unus ex heredibus totum
fundum restitutioni obnoxium possideat. Et facit L. si duo. 22. D.
depos. per quam Ang. in L. si possessor. de rei vind. differentiam
in proposito inter actiones personales & reales constituit. Deinde
actio personalis ex hoc pacto personam singulorum, non fundum se-
quitur, ideoq³ nec ejus fundi possessorem L. ult. de contrah. emt. L.
1. §. si heres. D. ad SC. Trebell. L. quædam. 9. §. nihil interest. de
edend. Imò actione in rem adversus defunctum instituta, si is de-
cesserit lite contestatâ relictis pluribus heredibus, singuli pro portio-
ne hereditariâ tenentur, et si maximè rem unus possidet L. 2. in fin.
de prætor. stipul. L. si possessor. 55. de rei vind.

XVIII.

An autem Heredibus quoq³ annumerandus erit Maritus, ad
quem ex Statuto certa pars bonorum Uxoris obitu ejusdem perve-
nit, si de rebus in eadem comprehensis revendendis pacto conven-
tum fuerit? Negamus. Et res est decisa apud Hartm. Pistoris
lib. 1. q. 21. quia nempe heredis instar non obtinet, ibi num 8. Lu-
crum enim illud jure hereditario non deferri, sed ex speciali legis
providentiâ, ubi allegat Rol. à Vall. Adde: quia acquiritur titulo
singulari ex legis dispositione, non universali, itaq³ ad heredes etiam
transmittitur mariti ea portio sine agnitione Rol. à Vall. de luc.
dot. quæst. 47. num. 7. & se. Facit etiam; quod in ejusmodi lucrâ
ea veniunt, quæ alias restitutioni fideicommissi erant subjecta. arg.
auth. res quæ. C. comm. de lega. Phanuc. de Phanuc. de luc dot.
gl. 10. num. 62. Deniq³ capitur non ut hereditas, sed ut es alienum
Rol. quæst. 82. num. 13. Ph. de Phanuc. d. tr. gl. 4. num. 9. ubi ad-
dit, hoc lucrum esse extra hereditatem, & dici bona mulieris. Jas. in
L. si arrogator. num. 17. de adopt. & statutum illud non deferre
sub nomine hereditatis mulieris arg. L. debitor. 59. in fin. ad SC.
Trebell. L. 62. in pr. eod. & titulo universali, sed titulo particulari
dotis, & pro parte tantum, imò lucrum illud esse ex causa contra-
ctus dotalis & matrimonii statuto id disponente. Quemadmodum
igitur

Non nisi cum
sub. hinc. p. k
ber. ist.

Off. de Ph. v. v. v. v.
port. stat. q. d. v. f.
hu. q. d. v. f.

igitur adversus alium quemlibet singularem successorem hoc pactum non datur; ita nec adversus hunc. Non nego tamen posse maritum ex hoc pacto reemendi conveniri, si videlicet ita statuti verba loquuntur, & portio illa tanquam heredi & universali titulo deferatur. Itaque hic casus disertè ab illo distinguendus est.

XIX.

De pactis cum venditoribus
an reus sit
si venditor

Ceterum ambigua est, & apud Dd. maximè controversa questio: Utrum re cum Pacto redimendi venditâ, & in aliâ translata adversus secundum emptorem & possessorem; An verò tantum in id quod interest adversus primum emptorem actio competat? Posterius probamus. Cum enim Imperator Alexander ex hoc pacto actionem det personalem, absurdum est dicere, Rei vindicationem posse concurrere cum actione personali, quæ condictio vocatur, propter regulam receptissimam; quod nemo rem suam condicat, nisi à fure L. ult. usufr. quemadmodum cav. Tralaticium quoque est actionem personalem non dari adversus fundi possessorem, et si verba pacti de fundo loquuntur L. fin. §. fin. de contrah. emt. L. adhuc. §. si operas. vers. quamvis de usufr. L. 1. §. si heres ad Trebell. L. æris. 15. C. de donat. cum similib. adornatis à Gomez. de servit. num. 23. Deinde quoniam translatum est in emptorem dominium. Aliter enim venditum non videretur L. cum manu 80. §. ult. de contr. emt. Cur ergò non etiam alienare illud licebit L. in re mandata C. manda. L. dudum 14. C. de contrah. emt. Videre licet etiam ipsam conventionem de vendendo non impedire, quo minus res alteri tradatur L. quoties 15. C. de rei vindic. L. sive autem 9. §. si duobus. de publ. in rem act. Sic in L. pro parte 11. de servitut. obligatio & actio ad servitutem in fundo alienato promissam constituendam non transit adversus singularem successorem, & quamvis constituta sit, eam pati non cogitur. Faciunt etiam verba ipsius conventionis in d. L. 2. ut emptor fundum restituat. Hæc verba factum emptoris desiderant, ut per traditionem dominium ab emptore in venditorem transcribatur, proinde sine illâ venditor fundi dominus non efficitur, & per consequens ei non est actio adversus fundi possessores L. in rem. 13. de rei vind. Denique quamvis pactum venditioni adjectum non servatur, non omninò à contractu receditur, sed ad id quod interest agitur L. ea conditione. 14. de re-

rescind. vend. L. 1. 3. 6. 11. C. de act. emt. L. 3. C. de pact. int.
emt. *Et hanc sententiam post Alexand. tuentur Borgni: Caval-*
can. par. 2. decis. 16. num. 2. Ern. Cothm. vol. 5. resp. 39. nu. 9. Joh.
Meichsner. tom. 1. decis. Camer. Imper. lib. 2. decis. ult. Anton.
Faber dec. 22. erro. pragm. 10. Hartm. Hartm. pract. obs. tit. de
pact. c. 5. Sim. Ulr. Pift. in addit. ad Hartm. quæst. 21. lib. 1. lit. B.
Eamq; confirmat Constit. Electoral. 32. part. 2. §. Aber da disffals
etc. Et in Camerâ servatam testantur Gail. lib. 2. obs. 16. Myns.
cent. 6. obs. 69. Communem dicit Pe. Joh. Anchora. lib. 1. quæst.
13. & Curtius Sen. ab hac opinione recedere Diabòlitum esse ait.
Ddq; contra Alex. tenentes responsa dedisse prout amicorum & a-
varicia postulavit desiderium tradit Cravetta conf. 201.

XX.

Nec remoram injicit antecedenti nostræ conclusioni, quod Franc.
Cardin: Mantica, Didac: Covarruvias, Roderi: Suarez, Franc:
de Caldas, Alexand. Trentacinius, Rol. à Valle, Gabr. Mudæus
cum aliis ab ipsis relatis fadere distinctionis inter verba obliqua &
directa repugnantes opiniones invicem conciliare nituntur. Non
enim in proposito formularum & syllabarum aucupis & tricis in-
habendum contra L. 2. C. commun. de legat. cum & à sanioribus
Interpp. discrimen hoc inter pactum revendendi & restituendi, ut
præpostera & inutilis subtilitas, rejiciatur. Et Imperator in hac
nostra L. 2. ut & L. ea condicione. 14. C. de resc. vend. licet conven-
tum proponat, ut fundus restituatur, non tamen aliam, quam ex
emto personalem dat actionem. Omninoq; Restitutionis verbum
pro subjctâ materia capi sup. in conclus. 1. demonstratum. Magis
itaq; ad negotii, quo de agitur, Naturam, quam impositam appel-
lationem respiciendum est, cum impropiè nonnunquam contraben-
tes loquantur L. cum falsa. 5. C. de jur. & fac. ignor. L. non ali-
ter. 69. de leg. 3. L. Labeo. 7. de supell. lega. Sic in simili Addi-
tionis in diem pacto notissimum est ipso jure absq; nova traditione
dominium transferri, si tamen illud etiam obliquis verbis concipi-
tur nihilominus ex eo vindicationem nasci probat text. expr. L. si
quis hac lege. 41. de rei vind. & contra, quamvis directis verbis
conceptum personalem producat L. si prædium. 4. C. de ædil. a-
ctio. L. si hominem 19. de usucap. Et quod specialiter Li. Commis-
C sorie

Joh. Hübner

foria tributum, ut ex Bar. Bal. Dec. Cro. Cur. Communem refert
Rol. à Valle. *buc non est detorquendum. Quinimò pacto fieri pos-
se resolutionem alienationis & dominii absq; traditione negamus,
utcunq; nostri hac de re digladiantur, & varias ejusmodi formulas
pactorum excogitent, de quibus Fr. Rip. in L. filiusf. §. divi. num.
88. de leg. 1. Stat enim immota Regula Lis. traditionibus 20. C. de
pact. Stant modò quarendorum dominiorum & acquisitionum, qui
nullo modo conventionibus & contractibus permiscetur, ut nec cau-
sa possessionis & proprietatis L. permisceri pen. de acquir. poss.
Imò hoc solius est Legis & Principis dominium sine facto ipso jure,
alicui tribuere L. id quod nostrum. de R. J. quod & Pretori o-
lim negatum dicitur, ut dominum non faciat §. 1. Inst. de bon.
poss. Et Paulus JC. in L. si ex stipulatione. 5. de acquir. possess.
si vendidero, ait, nec tradidero rem, & non voluntate mea nactus
sis possessionem, esse te pradonem. Nihil igitur valet ad dominii
translationem conventio nuda, sed facto naturali opus est, & vulgò
dicitur: ubi facto opus est verba non sufficiunt L. 1. §. tulisse de SC.
Syllan. c. 1. ubi gl. x̄ de eo qui mitt. in poss. Anto. Gomez. ad
L. Tauri 40. num. 16. & tom. 2. resolut. tit. 15. num. 22.*

XXI.

Post scriptum

*Pro securitate autem primi Venditoris, & ut à quocunq;
rem suam possit recuperare, apponi solent in instrumento venditio-
nis quadam Clausula, quarum unam atq; alteram videbimus. Et
quidem notabilis est & quotidiana questio: An pro observatione
pacti specialiter adjecta rei vendita Hypotheca impediatur dominii
translationem, ita ut venditor rem à quocunq; possessore queat re-
cipere? De Jure Civili negamus. Regula namq; est juris certi: Hy-
pothecariam actionem non tendere ad rescindendam alienationem
factam. Gabr. Mudæ. de pign. c. fin. num. 19. & 21. Deinde licet
venditor sibi jus exequendi in re vendita excepisset ex L. creditores
3. C. de pignor. non tamen precise ad rem agere posset, cum ei ob-
stet Exceptio Excussionis Nov. 4. §. sed neq; ad res & c. & ut hæc
replicatio inopia debitoris elidatur, tamen salvum est possessoris
jus offerendi estimationem, quod cuilibet justo possessori conceditur
L. mulier. 19. qui pot. in pign. hab. L. Paulus §. 1. quib. mo. pig.
vel hyp. solv. Deniq; buc facit L. 1. §. si hæres. 16. ad SC. Trebell.
ubi*

ubi heredi objicienti fundum pignori à defuncto obligatum esse, Ulpianus hoc contemnens subjicit: Nec multum facit si fundus pignori datus est. Neq; enim aris alieni actio personalis fundum sequitur. Atq; licet hac sententia paucis probetur, sunt tamen hi ipsi, ut est in proverbio, Pauci Boniq;. Occurrit igitur Fr. Rip. in L. filiusfam. 114. §. divi. num. 87. de leg. 1. Carol. Molin. in Conf. Paris. tit. 1. §. 30. num. 109. & se. Donell. in h. L. 2. C. de pact. int. emt. num. 10. Anton. Faber decad. 24. erro. 2. Contrarium probare videtur Constit. Elector. 32. par. 2. §. Do aber das Gut vor die Nehergeltung gebührlieh hypothecirt. Sed congruam illa hypothecationem esse vult h. e. cum consensu judicis factam ex ratione L. si quando 35. C. de inoffic. testam. contra Wesenb. cons. 39. in fin. qua majorem vim habere putatur, quam simplex extrajudicialis: unde quæ in judicio fiunt precisam etiam coactionem sortiuntur L. prator. de op. no. nunc. notat. in L. si ve ap. acta. C. de transact.

XXII.

Sic si adjectum erit Pactum de non alienando, validum quidem illud est, non tamen ad eum effectum, ut irritam constituat rei alienationem; Sed ob legem prohibita alienationis non servat am tantum in id quod interest datur actio. Constat enim omnes conventiones quæ sunt de re familiari servandas esse L. jurisgent. 7. §. ait Prator & §. si paciscar. D. de pact. Deinde nominatim hac conventio confirmatur in L. ult. C. de reb. alien. non alienand. Sin vero contra Pactum res alienatur, non procedet impune alienatio, sed aut erit Condictio rei ob causam data causa non secuta L. ea lege. 3. C. de condict. ob cau. dat. aut in id quod interest actio d. L. si ita quis promiserit. 135. §. ea lege. de V. O. Nam in d. L. ea lege dicitur conditionem esse si conditio servata non sit, h. e. si res alienatur, quod argumentum prestat, conditionem posse non servari, & alienationem fieri posse: alias enim nisi hæc præcessisset, conditio dari non posset, qua quidem datur rebus verè & jure alienatis, non actu tantum, quia de effectu alienationis actum videtur L. si venditor. de serv. expor. & verba cum effectu sunt capienda. L. 1. §. 1. quod quisq; jur. Et de hac sententiâ convenit ferè inter Dd. in L. qui absentis. §. ult. de acquir. possess. & præter hos Duar. Don.

Cujac. & alii In L. qui Romæ. 122. §. coheredes. & L. si ita quis promiserit 135. §. ea lege. 3. de V. O. Don. in d. L. ea lege. 3. C. de cond. ob. ca. dat. Ant. Fab. dec. 24. erro. 2.

X XIII.

Nè tamen alienatio contra pactum in tertium facta subsistat utilissimam Constituti Possessorii Clausulam recipimus. Itaq; si Pacto in contractu Venditionis conventum, ut Venditori quandocunque rem recemere liceat, cujus in fraudem ne eam in alium transferre possit emtor, apponi solet clausula: Velle sese eam rem venditoris & paciscentis nomine possidere, quousq; à se ex conventionis præscripto avocetur. Fit enim ut quæ sita hoc modo manu longâ legis beneficio possessione L. ea quæ civiliter. 53. de acquir. dom. L. quod meo. 18. de acquir. possels. simul dominium accedat, & proinde quæ sequitur contraria alienatio non subsistat. Si enim cum eo, cui post contra conventionem res vendetur, contendat hic primus venditor, & ille ob traditionem factam potiore se dicat, justissimè de priore traditione excipiens in retinendo potior & superior erit L. si ea res, 31. §. 1. de act. emt. Receptum enim est in jure nostro, possessiones sub conditione tradi posse L. qui absentis. 38. §. 1. de acquir. poss. Item possessionem recedere ut quisq; constituit se nolle possidere L. si quis vi. 17. §. differentia. de acquir. poss. quod meo nomine possideo, posse alieno nomine possidere, & alium possessorem ministerio meo facere L. quod meo. in pr. d. tit. L. quædam. 77. de rei vindic. c. cum venisset. 9. X. de restit. spol. L. quoties. C. de donat. quæ sub modo &c. Probatur hac sententia Communiter, & refert Tiraquell. de constit. part. 1. num. 31. & se. Fr. Card. Mant. lib. 4. vatic. lucub. tit. 30. num. 26.

X XIV.

Sequitur nunc paucis ut dicamus de Pacti hujus objecto, sive Rebus, quæ ita vendi possunt. Omnes autem Res qualescunq; sint quæ veneunt conditionem hanc redimendi recipiunt. Si enim vendere permissum est, cur non & revendere? Restitutio enim ad pristinum statum facilem habet aditum Gl. in c. statutum. verb. numerandum. ubi Dd. de præbend. in 6. & facile res redit ad primitivam similemque naturam & originem L. si unus. 27. §. pactus ne peteret. D. de pact. Vasq. lib. 2. contro. c. 56. num. 14. & c.

Just. l. 1.

*Non Obstat
Pactum*

82. num. 4. Maria Soci. sen. cons. 25. circa prædictam concl.
col. 6. Arn. Ferron. ad consuet. Burdeg. lib. 1. tit. 2. §. 11. & §. 24.
reditusq; ad primum statum actus legalis est L. penult. §. uxor. sol.
matr. L. redintegrato 23. D. rer. amotar. L. post divortium. 64.
L. dotem. 30. L. Divus. 40. & L. si mulier. 59. c. D. de jur. dot. Rol.
à Vall. de lucr. dot. q. 75. num. 2. & seq. Bonif. Ruger. vol. 2.
consil. 2. num. 100. & 105. Unde Boëthius lib. 3. Met. 2. Repetunt
proprios quacunq; recursus, Reditusq; suo singula gaudent.

XXV.

Hinc etiam Feudum sub Pacto de Retrovendendo licitè vendi
poterit. Cum enim ipsa Emtio justissimus sit titulus quarendorum
feudorum 1. feud. 16. Hotom. disp. feud. c. 15. nec eorum natura
adversetur, ut precio comparentur 1. feud. 1. §. 5. in fin. 1. feud. 7.
& 24. 2. feud. 12. 15. & 25. nec feudum emtum desinat esse feudum
proprium, sed nominatim appelletur beneficium 1. feud. 20. ipsa
insuper militia, cui feudum comparatur, emtionem admittat L.
omnimodo. 30. §. imputari. C. de inoffic. testam. multisq; in locis
adhuc hodiè usurpatum sit, quod feuda & dignitates vendantur
tanquam hereditarium pecus & ovile juxta Bald. ad tit. de feud.
March. ducat & comit. Utiq; fas & jura permittent in his quoq;
Retrovenditionis pacta, utpote substantiæ feudali nullatenus re-
pugnantia, recipi & servari debere teste Nicol. Intrigliol. de feud.
quæst. 51. num. 302. & seqq. Imò tale pactum venditioni adjectum
incontinenti, liberare vassallum à feudi privatione concludit Schra-
der. tr. feud. p. 9. c. 1. num. 19.

XXVI.

Exinde nunc infertur rectissime, Fæminas ad feudi quoq; sub
pacto Redimendi comparari successionem non esse admittendas, par-
tim quod rationes, ob quas regulariter in feudorum successione
fæminis locus non patet, hoc quoq; in casu obtineant: pariim etiam
ideò, quod ex textibus in præced. conclus. adductis manifestè con-
stet, feuda isthac propter pecuniæ interventum communem feudorū
naturam nullatenus amittere. Et quamvis in uno aliquo capite al-
terentur, in aliis tamen non alteratis eam nihilominus adhuc reti-
nent, & secundum leges atq; consuetudines feudales regulari de-
bent Wurmbser. pract. obs. tit. de feudis. obs. 2. & 14. cum ob id
quod:

scribitur

*Alibi hinc non
est nisi invidiosum
dignitatem*

quod feudum ematur vel pecunia comparetur, non statim fiat al-
lodiale, sed potius beneficium permaneat, & ideo in eo quoad succeſſio-
nem foeminae nihil ſibi vindicare poſſint, prout multis auctoritatibus
id demonſtrant Petr. Heig. par. 1. q. 25. num. 46. Hartm. Piſtor.
lib. 2. quaest. 38. num. 48. & Ern. Cothm. vol. 1. reſp. 9. n. 87. &
ſeqq. Si tamen venditor legem Retrovenditionis exercendo precium
reſtituerit, quod tunc in precio iſto velut re allodiali nec amplius feu-
dalius ſucceſſionis foeminis pariter cum masculis competat cum
Andr. Rauchb. par. 1. quaest. 37. num. 20. & ſeqq. facile tranſimus.

XXVII.

*Mittelauß.
Zurück*

Sic & contractus emtionis venditionis Censuum, ſive Annuo-
rum Redituum, ſub hoc Pacto licitus nec uſurarius cenſetur. Non
enim pugnat cum Jure Sacro Levitic. c. 25. num. 14. & ſc. Adpro-
bat Jus Civile Nov. 72. c. 7. verſ. integrum. Nov. 160. L. jube-
mus. 14 §. fin. C. de SS. Eccl. & facit Ratio: quia adſunt ſub-
ſtantialia requiſita emtionis venditionis co. tit. Inſt. de emt. vend.
L. 1. D. de contr. emt. L. 1. de rer. permutat. precium enim inter-
venit ſc. certa pecunia quantitas; & merx, reditus videlicet an-
nuus. Censuum enim eſt res certa, unde vendi poteſt clem. monaſte-
rium de reb. Eccleſ. non alien. d. L. jubemus. & inter bona im-
mobilia in dubio numeratur Clem. ex vi. §. cumq; annui reditus.
de V. S. Nov. 7. in praefat. Conſentiunt etiam Conſtitutiones
Imperiales: Caroli V. in Comitibus Auguſtanis anni 1530. & an.
1548. ſub tit. von wucherlichen Contracten. Rudolphi II. de anno
1577. §. vnd nach dem die Widerkauffsgulden. eod. tit. De Jure Ca-
nonico extant duae Extravagantes inter communes tit. de emt.
& vend. Itemq; aliae duae Conſtitutiones, quarum prima eſt Ni-
colai V. & altera Pii V. quae uberius hanc rem declarat & diſpo-
nit, hodieq; cautè attenditur referente Sigism. Scaccia in tr. de
commerc. & camb. §. 1. quaest. 1. num. 175. in fin. & §. 9. num. 44.
& 45.

XXIIX.

fruchtig.

Sed licite ſunt haec annuorum redituum emtiones, ſi modo in-
terveniat juſtum Precium. Quia juſticia commutativa in contra-
ctu neceſſaria principaliter oritur ex Juſticia precij. Scaccia d. §. 1.
nu. 240. In cujus definitione noſtri admodum variant, ſic ut haec
in par-

*in parte necessario observanda sit provincia consuetudo. Quocirca
in Imperio Rom. Decreto Comitiorum Wormacens. de ann. 1495.
placet in rebus bis ad voluntatem debitoris redimilibus justè in
singula centum annua quinq; pendi. Et repetitur hoc in der Re-
form. guter Pollicey zu Augsp. An. 1530. & Ann. 1548. Item Pollicey
Ordnung zu Franckf. Ann. 1577. tit. Von wucherlichen Contracten.
Et hoc jure nos uti, idq; in Camera observari testis est Gail. li. 2. obs.
7. num. fin. Comprobat etiam Divus Augustus Saxon. Elector
im Torgawischen Ausschreiben. Ann. 83. tit. Von Bucher/wucher-
lichen Contracten vnd Partiten / auch von nachgelassenen Zinsen.
Referunt tamen Paul. Badius de rebus li. 1. c. 9. nu. 43. in non-
nullis Germania locis, & Petr. Friderus de mandat. jud. li. 2. c. 73.
in Westphalia & maxima Saxonie parte definitionem illam precij
exolevisse, ita ut sex annua singulis centenis emi probetur Curio
pluribus.*

XXIX.

*Eleganter hic dubitatum est, ubi constat Reditum annuum
nummarium deberi alicui, incertum tamen est, an sit redimibilis: an
verò perpetuus. Utrum in dubio presumendum? Sanè in dubio
contractuum causa perpetua creduntur L. 1. de ju. dot. L. obligatio-
num ferè. 44. §. placet. de obl. & act. L. si pactum. 9. de probat.
Sic Emphyteusis etiam perpetua presumitur. Hoc tamen non ita
absolutè in annuis rebus dicendum putat Covarruv. lib. 3. resol.
c. 10. Sic itaq; existimandum. Si annuus reditus solvitur ex re ali-
quâ, quæ data fuit debitori à creditore, & hic dominium rei in alte-
rum transfuit, qui reditum solvere tenetur, perpetuus presumendus
est, quia nimirum dominij translatio perpetua esse solet. Talia
enim sunt subjecta, qualia permittuntur esse à predicatis. Everh.
in topic. loco à subject. mater. L. annuam. 6. L. antepen. & pen.
de annu. lega. Et dominij translatio in perpetuum facta creditur
secundum propriam eorundè naturam, quæ mutata non presumitur,
nisi probetur Tiraq. de retr. lignag. §. 1. gl. 14. num. 88. Deinde si de
fundi vel rei traditione non apparet, ex eodem tamen reditus præ-
standus est, similiter perpetuus censebitur L. liberto. 21. in pr. de
annu. lega. quod enim ex prædio vel in prædij utilitatem præstatur
perpetuum creditur. Jac. Menoch. de retia. possess. rem. 6. nu. 28.
& seq.*

& se. *presumitur itaq; res ipsa creditoris fuisse, & debitori cum eo onere prestationis annua tradita, praesertim quando Censuum nomen impositum est, Covarruv. d. lo. 3. Si nulla istarum conjecturarum suppetit, respiciendum erit ad majorem frequentiam contractus in ista Provincia L. semper. 34. L. in obscuris. 114. D. de R. J. 4. Ubi per scripturam & testes de constitutione quidem constat annui census, nihil vero de perpetuitate vel extinctione, redimibilis censetur per ea quae tradit Petr. Binsfeld in c. in civitate. de usur. Idemq; est si precium sit valde modicum. Molinæ. & Covarruv. dd. lo. 5. Ex diutina prestatione tantum redditus redimibilis esse, & sic quod levius & minus est presumetur L. semper in obscuris. 9. L. semper. 34. in fin. de R. J. c. in obscuris. 30. de R. J. in 6. L. qui concubinam. 28. §. 1. L. nummis. 75. de lega. 3. c. ex parte de censib. Cov. d. lo. Molin. num. 212. & se. & in dubio cavendum, ne faenorandi occasio pateat, quae hinc arripi facile potest Arn. Ferro. ad ad consuet. Burdegal. li. 2. tit. 8. §. 20. facit etiam, quod hoc casu ageretur de obligatione & prestatione personali, quae in dubio non creditur perpetua Jac. Menoch. de retin. possess. d. rem. 6. nu. 28. & se. & in dubio etiam heres ad continuationem annuae prestationis non cogetur Jac. Venent. de annu. praestat. q. 29. & 19. si videlicet titulo causaq; destituatur.*

XXX.

Jam de Precio, quo Revenditio ex Pacto fieri debet, si nihil certi à contrahentibus in pacto fuit definitum, videamus. Ubi illud probamus, quo res olim fuit distracta. Nam propter quod unumquodq; tale est, illud ipsum magis tale est Auth. multo magis. C. de SS. Eccl. & vulgata. Propter pactum autem revendendi adjectum de ejusmodi precio primum convenit, illud enim ipsum facit rem minoris valere L. fundi partem. de contrah. empt. Tiraq. de retr. conv. in praefat. nu. 20. & se. Pinell. de resc. vend. c. ult. num. 19. Ergo & in eodem pacto valere debet. Nam hujus causa constitutum in eodem optima consequentia obtinere debet argumento L. quod favore. C. de LL. Eodem modo videmus determinationem respicientem plura determinabilia aequaliter determinare debere L. jam hoc jure. 4. de vulg. L. in testamento. 6. C. de testam. mil. L. quamvis. 4. C. de impub. & al. subst. L. ult. §. si autem C. de donat.

Novum H. H. fortis

donat. ante nupt. Stracha de adject. par. 3. nu. 158. & condicionem
in praeambulo actu expressam ad sequentem produci L. Titia. 134. §.
idem respondit. de V. O. Deinde facit comparationis argumentum
ab adjunctis, quò saepè 7 Cti utuntur L. 1. de reb. dub. L. ult. §. ult. de
tritic. vin. ol. lega. Cujac. li. 8. obs. 25. & tract. 4. Affr. ad L. qui-
dam. 47. §. ult. de her. inst. ex quo & responsum est à Neratio JC.
in L. si fundum. 35. mandati. si certo precio partes fundi tibi com-
munis mihi emendas mandaverim, quanticunq; aliorum partes
redemeris, sic & tuam partem coarctandam, ut non abundet man-
dati quantitatem, in quam tibi emendum totum mandavi. Et hinc
ducitur theorica Bart. in L. Seia. 20. §. Gaio. 2. de instr. vel inst. leg.
quando duo copulantur in eadem oratione qualitatem uni adje-
ctam censerit in altero repetitam L. qui fundum. 40. de contrah.
emt. Andr. Tiraq. de retr. conv. §. 1. gl. 3. nu. 2. & §. 6. gl. 1. Zoan. in
h. L. 2. nu. III cum se. qui sub nomine Bononiensium & Taurinen-
sium (malè tamen secundum Sim. de Prætis.) perstringit Gozadi.
& Cagnol. quamvis hic nu. 93. dicat de consuetudine sufficere pre-
cium olim datum, licet minus.

XXXI.

Hinc vetus promanat questio de Moneta mutatione. Cum
autem hac res Constitutione Electorali sit decisa, certo jure utimur,
mutata extrinsecâ bonitate valorem qui tempore contractus fuit in-
spiciendum. Et probant Azo. Molina. de usar. Anto. Sola tr.
de monet. Joh. Ruding. cent. 1. obs. 5. ubi præjudicia in terminis re-
fert. Idemq; aliàs ferè omnes, cum de intrinsecâ (Bon Schrott vnd
Korn) bonitate quaritur, concedunt Henn. Goëden. consil. 77. &
alii magno numero hinc inde allegati. Spectatus enim tacitè va-
lor temporis Contractus videtur L. cum quid. 3. de reb. cred. L. de-
bitorem. 99. D. de solut. c. cum olim. c. cum canonicis. de censib.
non inspecto decremento vel augmento, quod tempore solutionis ad-
paret L. Rutilia Polla. 49. de contrah. emt. L. cum quis. 22. de obl.
& act. L. fundum Cornelianum. 28. de novat. & pecuniâ ita fungi-
mur, ut non tam corpus ipsius pecunia, quam quantitatem, h. e. va-
lorem inspiciamus L. si poenæ. 19. §. si falsò. L. qui heredis. 46. de
cond. indeb. L. Titia Seio. 87. in. fi. pr. de leg. 2. L. quisquis. 95. de
leg. 3. L. si certos. 73. de V. O.

D

XXXII.

Non von Münznoten

XXII.

Sequitur Tempus Revenditioni praefinitum. Prius itaq; videamus quemadmodum id in venditione cum immobilium fundorum, cum reddituum annuorum procedat. De immobilibus constat ex hac L. nostra certa horum luitioni praefinita tempora omnino servanda, sive dictum sit: ut intra 20. annos liceat redimere: sive: ut non nisi 20. annis exactis. Utrumq; probamus moti generalitate verborum d. Lis. 2. quemadmodum & pluribus ex Interpp: placet, distinguendum in eo non esse, quod & probatur exemplo Legis Commissoriae & Addict. in diem 10. tit. L. Aemilius. 38. de minor. Aliter enim eveniret, ut prater mentem contrahentium perpetuo luere liceret contra L. non omnis. 17. de reb. cred. frustra etiam ejusmodi clausula adjecta videretur contra L. si quando. 109. de leg. 1. L. si cum Hermes. 7. C. de loca. c. si Papa. de privil. in 6. Deinde qui intra certum tempus ad aliquid se obligavit utiq; post illud teneri noluit. Permissum enim ad tempus censetur postea esse prohibitum. L. si unus 27. §. 1. L. epistola. 52. §. ult. D. de pact. L. statuliberum. 11. §. Stichum. L. Titia cum Testamento. 34. §. ult. de lega. 2. L. sicut. 8. §. si debitor. pen. quib. mod. pign. vel hyp. solv. c. ad honorem. x. de auctor. & usu pallii. imo & favore libertatis tempus praestitutum ad aliquid faciendum non potest protrahi semel elapsum L. Thais. 41. §. intra. 12. de fideic. libert. L. si intra. 23. de statulib. Sicut & e contra prohibitum ad tempus censetur post illud permissum L. Imperator. 8. de postul. d. L. si unus. L. pater filium. 33. §. fundum. de leg. 3. & post tempus permissum videtur ante illud prohibitum L. promissor. 21. de constit. pecu. L. quod dicimus. 105. de solut. Et haec omnia ex natura temporis limitati, ut ait Bald. in L. observare. §. proficisci de offic. procons. procedunt per L. sicut. 3. in fin. C. de praescrip. 30. vel. 40. annor. d. L. si unus. L. ex facto. 43. §. item quaro. de vulg. & pup. nam quod sub condicione datur, sub contraria condicione ademptum censetur L. si Legatum. 10. §. 1. de adim. & transfer. lega. L. aliquando. 107. de cond. & demonstr.

XXIII.

Quaerat hic quispiam: An venditor intra tempus praestitutum possit omni tempore redimere? Certè si id disertis verbis pacto expref-

*Non de Jure
sui loquitur*

stringentes, ubi praesertim non justo precio in pecuniâ constituuntur. Accedit etiam, quòd valde odiosa sit annuorum reddituum emtio; Petr. Heig. part. 1. q. 34. nu. 4. tùm verò quòd emtor certus omninò sit ab initio contractus de lucro ultra sortem percipiendo. Et quod Extravagantes duæ Pontificum requirant hanc redimendi facultatem statim post venditionem venditori competere. Quapropter si convenerit, ut intra certum tempus redimere liceret, pactio erit illicita, & ex contractu rejicienda, non tamen emtionem licebit dicere usurariam, & omninò vitari: Sin autem ita: ut post certum tempus non antè revenditio debeat postulari, cùm clausulâ de perceptione fructuum, tùm verò totus contractus vitium habebit, & nullus erit omninò, tanquam pacto contra substantiam actus adjecto Dd. in L. cum precario. de precar. L. ubi ita donatur. 27. D. de mort. ca. donat. Et licet Contra. Sumenhart scholasticus olim Doct̃or Tubingensis & Jo. à Medina contrarium probare conati sint: videtur tamen Molinæ opinio, cui adstipulatur Covarruv. & Rauchb. par. 1. q. 19. nu. 19. magis probanda, cùm ad fraudandum ex hoc contractu proximum Canones apertam fenestram videant, præstetq; in dubio ejusdem permissionem intra cancellos suos strictissimè coërceri, quàm laxioribus extensionum habenis ampliari arg. L. adoptivus. 14. §. 1. de ritu nupt. L. Sabinus. 28. commu. divid.

XXXVI.

Proxima his est quæstio: Quemadmodum in voluntatem primi Emtoris facultas hac redimendi conferri possit, & ut in superioribus, ita etiam hic venditio immobilium à reddituum venditione distinguitur. In Immobilibus hoc licet, quoniam & perpetuo alienari res potest, & sicut in voluntatem venditoris non dubiè conferretur d. L. 2. C. de pact. int. emt. similiter & in emtoris, ubi nulla praesertim diversitatis ratio occurrit Covarruv. lib. 3. resol. 9. nu. 3. Sigism. Scaccia de commerc. & camb. §. 1. quæst. 1. num. 475. & se. Alex. Raudens de analog. lib. 1. cap. 30. num. 247. & se. Sic aliquando in Repub. Romana ex necessitate venditis agris publicis facultas restituendi Reip. agros, non in Reipub. sed in emtoris arbitrium fuit collata Petr. Ærod. rer. judicat. lib. 4. tit. 1. cap. 8. Sed hic tamen justum precium venditioni ejusmodi accedere volumus; quod quidem majus erit, quam si simpliciter cum pacto redimendi

*Ob hoc M. H. non dicitur
M. H. non dicitur
ob hoc M. H. non dicitur
non dicitur*

mendi res venderetur, cum id pactum in favorem emtoris adjectum, eaq; ratione perpetua sit venditio quoad venditorem, & sine ullâ pactione, qua in ejus utilitatem cedat: Imò verò & in hac specie non ita facile usura prasumitur, cum minus certus sit emtor de lucro Covarr. d, loc.

XXXVII.

Verum in Contractu emtionis & venditionis annuorum Redituum facultas redimendi in venditoris solius potestate relinqui debet. Emtor enim nummos facere cogitur venditoris L. ex emtor. §. fin. de act. emt. L. si servos. 7. C. eod. L. 1. de rer. permut. Henn. Goed. conf. 79. num. 34. consil. 35. num. 26. Deinde hoc modo fors semel ab emtore data posset invito debitore venditore exigi, hoc verò est contra naturalem conditionem hujus contractus, qua à mutuo & usurâ distinguitur. Adversatur etiam ipsis Constitutionibus, quibus hac reditus annui emtio permittitur ea lege, ut fors semel data exigi ab invito creditore non possit. Covarr. d. c. 9. num. 4. sed census ad libitum venditoris maneat redimibilis Sigism. Scaccia de commerc. §. 1. q. 1. num. 236. Molin. de usu. quæst. 50. 55. Rauchb. part. 1. quæst. 19. num. 6. 15. 16. 21. Quod etiam pressius Decreto Magnorum Comitiorum Augustæ anno 1548. habitorum continetur sub tit. von wucherlichen Contracten. ibid. vnd die Loskündigung der Guldverschreibung auff Wiederkauff / wie Wiederkauuffs Recht / bey dem Verkauffer / vnd nicht bey dem Kauffer stehen etc. Intelligendum tamen hoc omninò est, rebus in eodem statu permanentibus, & quandiu ex parte venditoris reditus annui solvuntur. Si autem is solvendo esse desinat ad inopiam redactus, & inter creditores ipsius de prioritatem contendatur, vel omisso principali debitore redituum fidejussores conveniantur, fors principalis etiam cum reliquis reditibus ex venditoris bonis vel à fidejussoribus rectè peti poterit. Res enim non mansit in priori statu: & nisi hoc extremo casu liceret sortem repetere, ipsamet necesse esset emtori perire. Censetur enim hac conditio contractui respectivè inesse, si videlicet reditus annui persolvantur, alioqui ab eo recedere licere arg. L. quæro. 54. §. inter locatorem. D. loca. L. Julianus. 13. §. offerri. ubi Dd. de act. emt. Pet.

Frider. de mandat. jud. lib. 2. c. 71. num. 6. atq; ita contrahentes
pacisci posse tradit Hieron. Gabriel. conf. 152. vol. 1.

XXXVIII.

*Prius autem quam venditor fundum repetere jure possit exi-
gitur omnino precii Oblatio. Idq; liquido patet ex L. 2. C. de pact.
int. emt. Nicol. Bellon. conf. 25. num. 2. Et generalis est hac de-
finitio juris nostri: in omni genere contractus ultro citroq; obliga-
torii non competere efficacem actionem illi qui non prior ex sua par-
te implevit Bart. & Raph. Fulgos. in L. Julianus. 13 §. offerri. de
act. emt.*

XXXIX.

*Diximus precium esse offerendum Ergo Totum arg. L. si rem
9. §. omnis. de pign. act. Jas. in L. ait prator. de jurejur. Parti-
cularem enim solutionem veluti parum commodam invitus creditor
admittere non cogitur L. planè. 3. fam. ercisc. L. ob signatione.
9. C. de solut. L. tutor. 41. §. Lucius. de usur. itaq; nec pro parte
quidem liberat d. §. Lucius. L. si non sortem. 26. §. si decem. de
cond. indeb. & ita Dd. Communiter.*

XL.

*Oblationem requirimus in proposito realem, nec opus insuper
erit consignatione & depositione. Nam in d. L. 2. venditor cavet
sibi restitutionem fundi sub hac conditione: si pecuniam obtulisset.
Itaq; impletâ hac conditione statim peti potest quod promissum est,
eoq; statim actio nascitur L. cedere diem de V. S. Deinde in ver-
bis hujus rescripti simpliciter oblata dicitur pecunia, & vult Impe-
rator ex tempore oblata ex pacto pecunia, seu quantitas, rationem
haberi eorum, quæ ex eo fundo ad adversarium pervenerunt. Et
hæc sententia juri convenientior probatur Castr. Joh. Andr. Soc.
Cagno. ut refert Rol. à Valle conf. 27. vol. 2 in pr. & aliis quos
refert Tiraq. de retr. conv. §. 4. gl. 6. num. 2. & se. Donell ad d.
L. 2. num. 11.*

XLI.

*Idem juris erit, si quis annum redditum ex bonis suis à se sol-
vendum alicui vendidit, conditione adpositâ, ut quancumq; obla-
to precio liberare se à prestatione reddituum in futura possit. Non
enim*

Oblatio

subscriptum

subscriptum

subscriptum

enim redituum, qui interea antequam revenditio postulatur solvuntur, comparatio cum usuris est instituenda, alioquin & hic contractus ut usurarius à Canonibus non fuisset adprobatus Nec persolvitur reditus singulis annis ut lucrùm, sed ut merx & res emta; nihil etiam sorti accedit, sed quod ultro citroq; datur res est primaria & principalis: precium in pecuniâ, merx in rebus versatur. Petr. Heig. part. 1. quæst. 31. num. 13. Idem ergò in hoc quod in superiori casu dicemus, utrobique similiter veluti novâ emtione celebratâ L. ab emtione. § 8. de pact. L. 2. C. quando lic unic. ab emt. disced.

XLII.

Quoniam verò in rerum alienationibus non raro Agnati jure retractus seu Retractus, quod ipsis ex consuetudine vel statuto competit, uti solent, itaq; quid de eo in proposito Pacto tenendum sit inquiramus. Et quidem primam Venditionem, quæ sub hac lege contrahitur, ab Agnatis Venditoris impediri posse putamus. Quia Consuetudines retractuum loquuntur simpliciter de contractu Venditionis. Hujusmodi autem venditio, quamvis pactum accedat, tamen venditio est perfecta & suis numeris absoluta, si præsertim traditio quoq; accesserit, itaq; etiam retractui subjacebit. Deinde ratio juris est, ne res extra familiam alienetur. Cum autem hic dominium abeat à venditore & fructuum percipiendorum utilitas, nemo sanè negabit hoc pro alienatione habendum L. ult. C. de reb. al. non alien. Itaq; idem in proposito dicendum rectè inferatur. Accedit quod Constitutio Friderici Siculæ & Neapolitanis data, item Consuetudines Gallie & aliarum provinciarum facultatem redimendi in venditionibus passim concedunt, contractus tamen aliquot excipiunt, in quibus hic non reperitur, manet ergò sub regulâ Constitutionis generali arg. L. 1. de R. J. Idemq; in efficacioribus terminis adprobat Covarruv. li. 3. resol. 11. quando fundus in aliquem sub certo annuo censu, donec à debitore is pro convento precio redimatur, transfertur, reservato etiam dominio directo, quæ etiam illam sententiam equiorem, de jure veriore, & Reipub. magis convenientem nominat, itaq; in praxi servandam esse, sicuti servatam testis est Andr. Tiraq. de retr. conv. §. 2. gl. 1. nu. 33 Matth. de Afflict. de ju. protimis. §. licet enim. nu. 34. & se. Arnol. Ferron. ad consuetud. Burd. li. 1. tit. 2. §. 12.

XLIII.

Manu Gualtheri in libro
de retractu non adprobato
in articulo de retractu in
formam suam.

XLIII.

Si verò res ex Pacto revendi postulatur, tùm is qui facultatem redimendi sibi reservavit, consanguineis primi emtoris præfertur. Videntur enim nunquam in familiâ emtoris fuisse quæ sic emta sunt, ut quandocunq; redimerentur L. cum de lanionis. 18. §. Sabinus. 7. L. Seixæ. 20. §. idem. 5. de instr. & instr. leg. & maximè cum suâ causâ & onere ad emtorem pervenerunt L. alienatio. 67. de contrah. emt. Res enim aliter non facta est emtoris, quàm cum pacto acquisitioni permixto, cum quæ incontinenti fiant inesse creduntur. Resoluto itaq; jure emtoris jus agnatis quesitum resolutum intelligitur L. lex vectigali. 31. de pignor. L. 3. quib. mo pig. L. ubi autem. 4. §. idem Julianus, de in diem addict. cum sim. Deniq; si aliter fieret, hoc pactum nunquam effectum suum consequeretur. Fr. Card. Mantic. de tacit. & amb. conv. li. 4. tit. 32. nu. 41. Ludov. Gozadin. in h. L. 2. nu. 68. 127. Cagnol. ibid. nu. 68. & se. Jo. Lambert. in enchir. jur. Gallix. fol. m. 310. & se. atq; ita in terminis consuluit Dec. vol. 1. conf. 88.

XLIV.

Nec incommodè queri potest: Annon & jure suo Retrahitur agnati uti possunt, si fortè eadem redimendi facultas alteri Ceditur? In qua questione juvari eos non posse puto. Cùm enim ab initio venditionis facta sub hoc pacto jure suo uti poterant, & usi non sunt, non erunt deinceps ad id à quo semel ceciderunt aliâ viâ admittendi. Itaq; elapso à prima venditione anno, liberum erit emtori jus hoc alteri cedere. Jura enim sua remittentibus ad ea non datur regressus L. quæritur. 14. §. si venditor. de ædil. edict. Imò renunciatio hæc per lapsum temporis causata cùm fortior credatur quàm expressa Dd. in L. 1. C. qui admitt. ad bon. poss. L. diffamari. 5. C. de ingen. manum. L. si ea. 7. C. qui accus. non poss. L. si creditor. 7. §. illud D. de distr. pign. non debet itaq; sequentem cessionem impedire, cùm jus agnati per eam sit penitus sublatum Jo. Aloyf. in allegat. causæ Tavi. ap. Joh. Anto. Cannet. in Extravag. Volentes. Frid. Sicil. Regis. fol. m. 111.

XLV.

XLV.

Facta, ut supra diximus, precii oblatione à Venditore vel heredibus, & Emptore accipiente, aut oblatam sine justâ causâ accipere recusante, nascuntur ex hoc Pacto Actiones venditori ad fundum repetendum competentes. Licet autem tralaticium sit: Ex pacto actionem non dari; tamen hoc ita verum est, dummodo id non in continenti contractui adjiciatur. Tum enim inesse bonæ fidei judiciis, actionem ipsam formare, & legem dare contractui dicitur L. jurisg. 7. §. quinimò. de pact. L. lecta. 40. vers. dicebam. si cert. pet. L. in bonaf. 13. C. de pact. Ergò in ingressu contractus, in initio, in exordio, sine interruptione negotii quod contrahitur Cujac. d. §. quinimò. Ludov. Charond. verisim. lib. 2. cap. 9. sive cum ad contrahendum ingredimur, ut Duar. d. §. quinimò. qua in Basilic. lib. II. tit. 1. c. 6. dicuntur eodem ab initio tempore ibi: εἰ μὴ σύγχρονόν ἐστι συμφωνούμενον ἔ συμβάλλεται τῷ ἐνάγοντι, interpositum hoc pactum inest: h. e. ipsius contractus complexu continetur, & adeò inheret contractui, ut exceptionem pacti opponi non sit necesse, imò pars est ipsius contractus L. fundi partem. 79. de contrah. emt. Tiraq. de retr. conv. §. 1. gl. 1. num. 1. & in præfat. num. 21. Ex quo efficitur: Si ex intervallo hoc pactum adjectum stipulatione non fuerit confirmatum ad revenditionem non proficere. Non enim coherent contractui talia pacta, non insunt, nec formant, aut reformant actionem, quemadmodum hoc tribus exemplis declarat Ulpianus J C. in d. §. quinimò. Hec igitur pacta non actionem, sed exceptionem tantum pariunt Gabr. Mudæ, in L. pacta. conventa. & Dd. communiter dd. II.

Non in Klagen auf die
Sachverhalte.

XLVI.

Confirmatur autem Pactum Redimendi per Alexandri Imperatoris Constitutionem ad eum effectum, ut duas Actiones pariat: Unam ex Contractu emti & venditi; Præscriptis in factum verbis alteram text est fundamentalis in d. L. 2. C. de pact. int. emt. & vendito. comp. qui secundum intellectum quorundam pro miraculo juris habetur. Quia enim pactum habet causam, videlicet dationem, ut quid fiat L. jurisg. 7. in pr. vers. sed etsi. de pact. & proprium nomen non habet, ideo ad actionem præscr. verb. confugitur L. 2. & 3. de præscr. verb. Actionem ex Vendito producit,

E

quia

Verf. d. 2.



quia pactum istud emtioni inesse videtur, quod idem est ac sit emtio
L. lecta. vers. dicebam. si cert. peti. L. jurisg. §. quinimò. de pact.
L. in bonaf. 13. C. eod. Et si res minoris, quam sit justum precium,
distrabitur, tale pactum censetur pars precii d. L. fundi partem. D.
de contrah. emt. ut ita de Emtione Et Contractu innominato jun-
ctim agatur Tob. Nonius in §. 1. num. 17. Inst. quib. mod. re-
contrah. oblig. Fr. Cardin. Mantic. lib. 4. vatic. lucubr. tit. 32.
num. 7.

XLVII.

Nonius
Nec movemur, quod nonnulli in h. L. 2. unicam tantum ex
vendito actionem superesse contendunt, ut non obscure Jac. Cujac.
d. §. quinimò Et alibi quidam ejus sectator expressius, quorum
opinio minuenda est. Non enim verba illa d. Lis. 2. actio præ-
scriptis verbis, vel ex vendito &c. corrigentis esse
putemus, ubi, si quid ejusmodi inesset, ad proximam ex vendito a-
ctionem (ad quam etiam juxta grammaticas regulas applicanda
est disjunctiva particula) esset referendum. Et minus rectè iidem,
quoniam controversum fuit, quæ actio hinc daretur, Sabino ex Em-
to L. si convenit. 6. de resc. vend. Proculo Præscr. verb. actionem
dante L. si vir uxori. 12. de præscr. verb. Principes hanc litem ita
sustulisse putant, ut solam ex Emto actionem reliquerint, cujus Et
mentio fiat in his Et similibus Commissoriis Et Addict. in diem Legi-
bus L. Imperator. 16. de in diem addict. L. si fundus. 4. in fine
de L. commisso. post quæ etiam Rescripta Jcti solius ex vendito
actionis pacto in continenti venditioni adjecto mentionem faciant
L. si sterilis. 21. §. si tibi fundum. 4. de act. emt. L. qui fundum
75. de contrah. emt. Nam Principes illi utcumq; de LL. commif-
sor. Et addict. in diem rescripserint, in proposito utramq; actionem
Imperatorem Alexandrum dedisse ex hac Lege manifestum est. Et
Jctum Paulum auctorem d. Lis. si sterilis. post illa Rescripta ni-
hilominus præscriptis in factum verbis actionem dare apertissimum
ex L. si convenit. 6. de rescind. vend. ut dubitandum non sit, eas-
dem ambas etiamnum competere.

XLVIII.

Pauli
Ceterum extra prædictum casum nostrum valdè controver-
titur: Utrum ex Contractu principali una tantum actio detur;
aut

aut Actio præscr. verbis civili ordinariæ actioni adjungi, & cum eâ concurrere possit? Quod posterius propugnant Fr. Duaren. in d. §. quinimò. Petr. Loriot. de pact. axio. 26. Andr. Tiraqu. de retr. conv. §. 1. gl. 1. num. 2. 3. Gabr. Mudæ. & Jo. Coraf. in L. pacta conventa. de contrah. emt. Wesenb. in paratit. sub tit. de præscr. verb. in fin. Jo. Bologn. in L. petens num. 53. C. de pact. Jo. Sichard. ad rubr. C. de rer. permut. Oldendorp. clas. 4. act. 40. Anton. Fab. in rational. ad d. L. 7. de pact. Anton. de Padilla ad L. Naturalis de præscr. verb. num. 13. atq; huc communiter decursum, prolat à eadem opinione primum à Gl. in L. jurisg. §. quinimò. circa pr. de pact. & in L. bonaf. C. cod. quam deinde Jac. Butrigar. Bar. Bal. Ang. Salic. Jaf. & alii Citramontani, ut vocantur, seu Itali Dd, sunt secuti, & haud dubiè recepta est Communiter. Sed contra hanc aperto Marte congregiendum sibi putarunt Jac. ab Aren. Petr. à Bellapert. & alii Ultramontani, sive Galli, quos ex Italis etiam secuti sunt Cyn. Raph. Fulgos. Petr. Perusin. And. Alciat. lib. 5. paradox. c. 1. Et ex recentioribus Fr. Conna. lib. 5. comment. c. 2. num. 7. Petr. Costal. ad L. 1. de præsc. verb. Petr. Grangia paradox. c. 39. Fr. Hotom. in conject. de præsc. verb. Donell. de præscr. verb. c. 12. Henr. Heidecc. in interp. L. Naturalis. de præsc. v. Steph. Forcatul. necyom. dialog. 90. 91. Fortun. Garzias in d. L. jurisg. Thob. Nonius in §. 1. nu. 14. Inst. quib. mod. re contr. obl. omnes uno ore superiorem sententiam damnantes, & unam tantum ex contractu actionem concedentes, imò ut vult Cujac. nunquam accidere, ut sit ex contractu una actio ex lege alia. Neq; tamen hic valde pugnabimus, utra ex his Gallorumnè an Italarum verior sit opinio, dummodo, quod & illi agnoscunt, maneat in proposito propter additam ex emto actionem præscr. verbis non defuisse.

XLIX.

Venit autem in has Actiones, ut res emta oblatò precio ab emtore restituatur. Ubi tamen non precisam revendendi necessitatem exigi: sed præstatione ejus quod interest conventum liberari putamus. Namq; notissimi juris est, aliud esse venditionem, aliud promissionem de vendendo, uti Dd. Communiter adserunt, & cui regula omninò inherendum tanquam Carocio Bononiensi teste Rol.

E 2

à Val-

*Ob die festhaltung der
Subscripten und festhaltung
des Dings selbst?*

à Valle. Nec tantum in hoc genere contractus, sed & in aliis Regu-
la generalis solet constitui, quod promissio de contrahendo non sit il-
le contractus qui promittitur Bart. ad L. singularia. si cert. petat. &
L. si pupillus. in fin. pr. & ibi Ang. Castr. Jo. de Imol. Alex. ad
L. Falcid. Eademq; ratio infinitis adductis aliorum contractuum
exemplis confirmata est à Tiraq. & addit Gabr. Mudæ. perpendisse
quoq; Ciceronem hac differre cum diceret: Spondebo tibi, vel po-
tius spondeo in meq; recipio Martii Curii mores. Sic jure nostro qui
promittit fidejubere nondum est fidejussor L. si quis stipulatus sit
Stichum. 112. §. ult. de V. O. Deinde promissio contrahendi semper
parit obligationem facti. Contrahere enim facere est, & contractus
omnes facti L. consilio. 7. §. fin. de curat. furios. L. si stipulatus. 4.
de usur. nec obligatio, quæ re est contrahenda, absolvitur solâ pro-
missione contrahentis, sed ab eadem distat plurimum L. qui pecu-
niam. 30. si cert. pet. L. 1. qui pot. in pign. L. si poenam. 68. de
V. O. Itaq; nulla hinc etiam præcisa coactio est, ut ex Bart. & aliis
& dd. ll. probat Bologn. in L. stipulationes non dividuntur. nu.
145. de V. O. facit L. quamvis. 45. de solut. & Eman. Costa se-
lect. interpp. lib. 1. c. 23. num. 3. Deniq; ex hac conventionem mul-
tò etiam ante hanc Alex. Constitutionem competiit, & post eam
mansit præscr. verbis actio L. si vir uxori. 12. de præscr. verb. hujus
autem genuina indoles est, ut non præcisè quem cogat, sed ad id quod
interest, reventem obliget L. naturalis. 5. §. 1. & se de præscr. verb.
Atq; ita concludunt Ludov. Gozadi. in h. L. 2. num. 1. cum mul-
tis seqq. & Pet. de Moncada in addit. ibid. Cagnol. d. L. 2. num.
129. & se. 133. & se. Hippol. Riminal. in §. 1. num. 60. & se. Inst.
de donat. Gabr. Mudæ. de contr. emt. c. 2. & se. Anton. Faber.
decad. 22. erro. 4. Rol. à Vall. volum. 3. conf. 69. pluribusq; hanc
sententiam placuisse refert Zoanett. num. 77.

L.

Laudemium.

Quod si tamen fundum ipsum restituere malit emtor, non in-
utilis sese offert questio: an ob revenditionem à secundo emtore Lau-
demium iterum sit præstandum? Quod affirmamus. Venditio
enim prima pura & propria venditio fuit, quæ ex eventu conditio-
nis resolvitur L. 2. 3. 4. cum gl. ib. de in diem addict. & magis in
proposito duo videntur subesse contractus, ut & agnoscit Covarr.
lib.

lib. 3. resol. 11. num. 6. primus quidem venditionis purus & abso-
lutus; secundus autem qui sub conditione veluti aliquo dato aut fa-
cto existit. Resolvitur enim eveniente redemptionis conditione con-
tractus, non quidem quemadmodum in addit. in diem ex tempore
contractus, quod innuat unum contractum esse, sed ex tempore con-
ditionis impleta. Et hoc modo quasi nova quedam obligatio inter
nos constituitur L. ab emtione 58. in fin. D. de pact. Deinde non
ideò minus dominium fuit in emtorem priorem translatum, quia re-
vocari potest L. non ideò. 46. de rei vind. L. 1. §. servi de SC. Si-
lan. L. arboribus. 12. §. Julianus. 5. de usufr. L. sciendum 15. §.
si fundum. qui satisd. cog. Multa enim accidere possunt, propter
quæ res non auferatur, quamvis auferri possit L. naturalem. 5. §. 1.
in fin. de acquir. rer. dom. L. quemadmodum. 29. §. item La-
beo. vers. cum incertum. ad L. Aquil. & ut ait Pomponius JC.
in L. 205. de R. J. plerumq; fit, ut etiam ea, quæ nobis abire pos-
sunt, perinde in eo statu sint, atq; si non essent ejus conditionis, ut
abire possent. Cum itaq; in revenditione nova domini & possessio-
nis translatio, & nova investitura requiratur, sanè novum quoq;
laudemium erit præstandum. Paul. Matth. Wehner. pract. obf.
verb. Dandlohn. Prosper Paseth. cons. 2. num. 7. Casp. Ziegler
in commun. conclus. §. nobiles. conclus. 1. num. 280.

LI.

Præterea si fundus restituitur, & post oblationem emtor fuit
in morâ, tunc ratio quoq; habenda est eorum, quæ post oblatam pe-
cuniam ex eo fundo ad emtorem pervenerunt. Veniunt igitur hic
fructus à tempore moræ, ut in cæteris bonæf. judiciis L. mora 32. §.
in bonæfid. de usur. quia non ob aliam causam ex mora usuræ ac-
cedunt, quam quod vicem fructuum obtinent. L. usuræ. 34. de usur.
Debentur autem fructus à die oblationis, ut est text. express. d.
L. 2. hic. Oblatio enim & petitio interpellationem habet, inter-
pellatus moram facit d. L. mora. in pr. de usur. Et hoc Commu-
muniter placere ait Rol. à Vall. lib. 2. consil. 27. num. 7. Donell.
ad d. L. 2. num. 18.

LII.

Atq; hoc ita est, quando oblatio fit congruo tempore in princi-
pio anni: si verò eo nondum exacto pendentibus & maturis frugi-

*Non pro fructibus unum
affertur potest.*

fructus

bus revenditio per oblationem precij postulatur, tam collectionem
fructuum pro rata temporis, quo fundus postremo eo neq; dum ex actio
anno possessus est, inter emtorem & venditorem distribui oportere,
non tantum. Equitatis ratione, verum Exempla quoq; moti statuim;
arg. L. Titius. 54. ad SC. Trebell. Cum enim in proposito resolutio
jure possessoris principaliter de fructibus eorumq; divisione agatur,
& eorum ab ipso fundo separata ratio habeatur, consideratoq; saltem
jure possessoris fructus ex illo jure astimentur, ideo sive pendentes
sint, sive percepti fuerint, pro rata temporis, quo jus possessoris dura-
vit, ad ipsum heredesq; ejus pertinent, ut de Marito possidente rem
dotalem probatur in L. fructus. 7. §. Papinianus. seu ut vulgò L.
divortio. L. de divisione. 5. solut. matr. L. 1. §. sed & novissimi. C.
de rei ux. act. ubi latiss. Dd. & de aliis, ut creditore fructus pigno-
ris ex pacto percipiente, retribus ad vitam constitutis, deniq; hoc
nostro redimendi pacto placet Juris Interpp. Estq; generalis & re-
gularis in plures alios casus fusa hæc distributio secundum Hartm.
Pistor. par. 1. quæst. 24. nu. 31. Deinde concursus hic est duorum,
quorum uterq; sibi fructus adserit deberi, nonne autem æquum est,
ut quanto tempore quisq; possedit, tanti temporis & fructus habeat,
ut utriusq; jus ex tempore metiamur? Stat enim Jcti determina-
tio certa: totius anni fructum unum esse, Et sanè in iis qua simul fie-
ri intelliguntur, lex nihil prius aut posterius censet L. Arescusa. 15.
de stat. hom. dumq; finis necessariam ad principium habet sequelam
principium perpenditur L. damni. 18. §. Sabini sententia. 11. ubi
Bart. de dam. inf. L. ita vulneratus. ad L. Aquil. Sic igitur tem-
pus tempori confertur, eodemq; obtentu æquilibrij jura cujusq; pen-
duntur, quod & in aliis juris fit articulis L. deniq; 3. §. 1. de minor.
L. sed etsi. 26. §. quoties. 6. ex quib. ca. majo. L. Pannonius. 86. de
acquir. hered. L. bonorum. fin. rem rat. hab. Nec insulsa Socini
ratio videtur, quam & urget Cuman. hoc maximè eò receptum,
quoniam hi, de quibus agimus, ex necessitate quadam ad restituen-
dam rem coguntur, & incerti sunt quando restitutionem facere de-
beant, ne quid igitur in eorum fraudem præmaturâ oblatione fiat,
viam hanc esse electam, per quam nemo eorundem gravatum se justè
queri possit arg. L. si servos. 25. de pign. act. Notum est magis suc-
curi his, qui ex necessitate quid facere coguntur, quàm qui voluntate
suâ accedunt L. si fidejussor. 7. §. si necessaria. D. qui satisf. cog. L.
quod

quod si minor. 24. §. restitutio. ubi Bar. de minor. Tiraq. de retr. lignag. §. 1. gl. 10. nu. 25. & sanè rem qui vendit liberè creditur utiq; cum ea & fructus pendentes vendere, quorum etiam intuitu emtor ad venditionem accedit L. cum te. 6. C. de pact. int. emt. L. Julianus. 13. §. in fructibus. de act. emt. non autem ubi quis restituere cogitur, justissimam tamen possidendi & re utendi fruendi habuit potestatem. Credendum enim & hìc est tamdiu eandem potestatem integram esse debere, quamdiu possessio, cujus respectu utilitas ad eum pertinet, durat L. lex vectigali. 31. de pignor. Sic dicuntur ornamenta venditarum rerum emtione contineri L. ædiles. 38. de edil. edict. non sic etiam vestimenta ornandis rebus ex necessaria causa restituendis veniunt L. in his. 66. §. 1. sol. matr. Et hujus sententia Auctor laudatur Raph. Cuman. in d. L. divortio. & in L. qui Romæ. 122. in pr. de V. O. quem secutus & alter Raphaël Fulgos. aliiq; plurimi, ut ex Tiraq. de retr. conv. §. 5. gl. 4. nu. 5. & se. Sim. Ulr. Pistor. in not. ad Hartm. d. lo. lit. D. liquet. Eadem ad praxin humanior, æquior, & conducibilior, nec à jure abhorrens prædicatur à Covarruv. li. 1. resol. 15. nu. 6. probat etiam Fr. Card. Mant. li. 4. Vatic. lucubr. tit. 32. nu. 99. & se. Jo. Ludov. decis. 79. par. 2. Jo. Bapt. Costa tr. de rat. ratæ quæst. 36. Et merito Contrariam Alexandri sententiam ob rigorem & asperitatem notat Fr. Zoanett. num. 136. ac Cuman. opinionem Alex. ipse, quamvis illi contrarius, æquitatem sapere dicit. Jas. verò in L. qui Romæ. hanc pro amico questionem nominat, ut Ictus consulenti Amico, pro utra parte ipsi libuerit, possit responsione sua gratificari.

LIII.

Sed in restitutione fundi Impensarum quoq; & meliorationum ratio habenda est, & quando postremi anni fructus pro rata inter emtorem & venditorem portione dividuntur, ante omnia impense cultura deducenda sunt L. fructus. 7. sol. matr. Tantum enim quis capere intelligitur, quantum ei bis deductis superest L. sed in hoc. 62. de condic. & dem. L. 1. C. de fruct. & lit. expens. L. fundus. 51. fam. ercisc. L. quod in fructus. 46. de usur. Idemq; de impensis ad fructuum perceptionem pertinentibus dicendum. Magna verò impense, necessaria & ad perpetuam rei utilitatem facta refundi debent

Restitutio in fructibus
pro.

bent ab eo qui in rem soluto jure pristini possessoris succedit L. do-
mos. 58. de lega. 1. idq; aequissima ratione: cum natura equum sit, ne-
minem cum detrimento alterius fieri locupletiores L. jure naturæ.
206. de R. J. neq; officium suum cuiq; esse damnosum. Sic maritus
sumtus non modò necessarios, sed & utiles recuperat L. pen. & pas-
sim. de imp. in res dot. fac. L. fructus. 7. §. ult. sol. matr. Imò quivis
malaf. possessor ejus, quod in alienam rem impendit, sumtus non so-
lùm necessarios, verùm etiam utiles ita recuperat, nisi ei suum opus
sine dispendio domini eximere permittatur L. domum. §. in fin. C.
de rei vind. & L. Julianus 37. ff. eod. sic prædo necessarias impensas
servat L. planè. 38. cum seq. de hered. petit. In voluptariis impen-
sis, nec si voluntate uxoris factæ sunt, exactio competit marito do-
tem reddituro L. in voluptariis. II. in pr. de impens. in res dot.
quas tamen tollet, si id fiat absque detrimento rei dotalis L. un. §. 5.
vers. sed nec. de rei ux. act.

LIV.

Impensa verò non sint præter modum graves, ut propterea reus
relinquere cogatur pristinus rei dominus L. si servos. 25. de pigno.
act. L. in fundo. 38. de rei vind. & melius est possessorem carere sua
pecuniâ, quàm dominum suâ re, & sic rem vendere compelli L. uti-
lium. 8. de imp. in res dot. fact. L. 2. C. de ingen. manum. Cujac.
li. 9. obs. 38. quamvis non attendatur, et si minores fortè is, cui resti-
tui res debet, facere potuisset L. si quis alicui. 27. §. impendia. man-
dat. dummodò omninò moderatas & solitas non excesserit. Atq;
omnia hæc à bono judice erunt dispicienda, & variè ex personis cau-
sisq; constituenda. dd. LL. justissimaq; observanda moderatio.

LV.

Re restitutâ oportunè nunc enodanda est illa questio, quam
ob varietatem Dd. & rationum conflictum Regiâ decisione dignam
pronunciat Pinelus. Num jus quoq; Pignoris pendente Revendi-
tionis tempore inter emtorem & tertium aliquem fortè contractum
resolvatur & evanescat, quando videl. res ex pacto nostro restitutio-
ni subjecta à primo venditore advocatur? Affirmativam sententiam
tanquam Veriorem, Communem, & à qua juxta Cagnol. durum
sit recedere cum Bart. in L. in diem addicto. 9. D. de aq. & aq. plu-
ar-

Handwritten notes:
Hanc rem inoffensam de
zant. aut. hanc rem
Hanc rem
M. deus. Hanc rem
de hanc rem.



arcend. nu. 2. & se. & in L. si res. 3. D. quib. mod. pig. vel hypoth.
solv. nu. 1. Bapt. Aym. lib. 2. de jure alluv. c. 10. nu. 13. Mudæ. de
pig. tit. quis hypoth. constit. nu. 5. & Fr. Card. Mantici li. 4. de ta-
cit. & amb. conv. tit. 32. nu. 96. tuebimur. Tum: quod venditio hoc
in casu, non ex spontanea emtoris voluntate, sed potius ex prioris an-
tecedentis causa necessitate resolvitur, cum venditor ad restitutio-
nem rei competentis jure etiam actionis cogi possit, quibus sanè in
casibus res redire debet libera sine onere ad venditorem L. ubi au-
tem. 4. §. sed & Marcellus. 3. D. de in diem addict. L. si res distra-
cta. 3. D. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. Tum quia videmus jus
pignoris in casu non ab simili prorsus evanescere, fundumq; vectiga-
lem certâ lege alicui concessum ad dominum sine onere reverti, si is
vectigali non soluto jure suo utatur L. lex vectigali. 31. D. de pignor.
Deinde resoluta jure debitoris resolvitur etiam jus creditoris d. L.
si res. 3. D. quib. mo. pign. vel hyp. solv. d. L. 31. D. de pign. Decius
conf. 88. Tiraq. in tr. cessante causâ. nu. 205. Adcedit quod ini-
quissimum esset venditorem sentire gravamen, quod ipse rei non
imposuit, & illum ex tali contractu obligari, in quem non consensit.
L. fin. C. de auctor. præstand. L. nihil tam naturale. 35. D. de R. J.
Nec enim factum illius, à quo res avocatur, præjudicare debet avo-
canti L. 3. §. 1. D. de pignor. Negusant. de pignor. memb. 1. par. 5.
nu. 43. Deniq; emtor onerando rem ita emtam multis oppignora-
tionibus, venditorem legis beneficio prorsus fraudare posset, ita ut
longè consultius esset venditori eam apud emtorem penitus relinque-
re, quàm tot tantisq; oneribus subjectam redimere. Tiraq. de retr.
conv. §. 3. gl. I. nu. 12. in fin.

LVI.

Longè aliter se res habet in casu Locationis. Hanc enim
pendente termino ab Emtore non fraudulenter factam Redimens
ex pacto ratam habere cogitur: Idq; ex ratione partim generali,
partim speciali. Generalis est: quia quilibet singularis successor
Necessarius, in quem debitor etiam invitus dominium transferre
per judicem cogi potest, locationi stare tenetur Catellian. Cotta in
memorab. in verb. successor. Cachera. Ofasc. decis. Pedem. 82. nu.
2. Magon. decis. Florent. 2. nu. 28. Benintend. decis. Bonon. 54. ad
fin.

F

fin.

fin. Hinc Creditor in possessionem pradij ex decreto missus, si a debitore locatum sit pradium, servare debet locationem a debitore factam L. in venditionem. 8. §. 1. D. de reb. auctor. jud. possid. Steph Gratian. tom. 1. discept. forens. c. 37. Sic uxori soluto matrimonio fundus dotalis non aliter est restituendus, quam si caverit quod velit ea prestare in qua maritus colono propter locationem fuerit condemnatus L. si filiofamilias. 25. §. fin. sol. matr. Covarr. lib. 2. var. resol. c. 15. num. 5. Sic fisco vendente pradium aliquod emptor stare tenetur locationi a venditore factae L. cognovimus. 3. C. de mancipiis & colon. patrim. libr. 11. L. fin. D. de ju. fisc. Plum exempla adducit Valentin. Förster. tr. de hered. quæ ab intest. lib. 1. c. 45. num. 32. & seq. Specialis ratio est: quod venditor eo ipso dum non redemit fundum, atq; ita non impedit ipsum emptorem uti frui, ex tacita hac voluntate locationem permittere censetur L. item quæritur 13. §. qui impleto. 10. D. loca. Zoanett. hic. num. 143. Atq; hanc sententiam in praxi receptam fatetur Franc. Cardin. Mantica. de tacit. & am. conv. libr. 4. tit. 32. num. 98.

L VII.

Prædicta tamen omnia notabilem recipiunt limitationem eo in casu, ubi pactum hoc simulatum & fœneraticium fuisse edocetur. Nisi enim id manifestè constet & probetur, pactum hoc in dubio non potest dici illicitum & reprobatum arg. L. patronum. 6. D. de probat. L. cum precibus. 18. C. cod. Jacob. Menoch. libr. 3. præsumt. 122. num. 35. & seq. Undenam verò & ex quibus conjecturis id appareat notumq; fiat, varij variè æstimant. Sed quia hac in re multa oriri possunt, quæ pro bono sint æstimanda, ideo cum Jcto Scævola in L. Mævia. 13. §. uxore. 1. D. de annu. legat. & fideicomm. non posse absolutè de his responderi censemus, ac proinde hujusmodi varietatem viri boni arbitrio dirimendam relinquimus. Conjecturas autem istas latè complexi sunt Ccstæ in c. ad nostram. extr. de empt. vend. Et in c. illo vos. extr. de pignor. Anton. Sola ad Constit. Duc. Sabaud. sub tit. de pact. int. empt. & vend. gl. 1. par. Menoch. libr. 2.

libr. 2. de arb. jud. quæst. c. 247. Molinæ. de usur. quæst. 50.
& se. Prosp. Farinac. lib. 1. cons. 40. Steph. Bertrand. vol. 7.
consil. 259. num. 19. & se. *Et omnium latissime Joh. del. Castil-*
lo. controv. ju. c. 25. cum ingenti testium nube.

LIX.

Quemadmodum autem frequens occurrit quæstio, qui in du-
bio contractus ex multis negotio immixtis celebratus intelligatur,
nec Veterum hac de re ambigentium exempla desunt: Sic in propo-
sito non raro quæri solet: utrum contractus Revenditionis vel Pi-
gnoratitius, censeri debeat. Et quoniam hujus rei tractatio tam la-
tè patet, ut brevibus non queat explicari, ideo ex re ipsa, de qua agi-
tur, usitatis conjecturarum locis, Et arbitrio boni viri res erit
decidenda, de conjecturis ejusmodi latè agit Matth. Berlich. con-
clus. practicab. par. 2. concl. 1. à num. 5. usque ad 58. cum
Dd. ibid. relatis. Et pertinent hùc ex Alberti Krantzii libr.
Dan. 8. cap. 35. relatum exemplum ab Hotomanno de feud.
disp. c. 17. in fin.

LIX.

Tandem canamus receptui, sinemq; dissertationi nostræ impo-
namus, ubi prius de Præscriptione hujus Pacti corollarii loco qua-
dam dixerimus. Licet autem Constitutione Electorali
Saxon. *jus sit constitutum, quo omnis Præscriptio sublata, neque*
Platoni utile videatur in legum jam latarum rationem curiosè in-
quirere, nec Aristoteles ipse censeat referre, quid quomodo legibus
definiatur in positivis: tamen quia cum Zasio potestatis Et rationis
conjunctionem in ferendis legibus probamus, Et omninò congruum
est particulares locorum Constitutiones ad Juris Civilis, quod o-
mnibus semper gentibus habitum est æquissimum, rutinam expende-
re, ideo quæ pro hujus sententiæ defensione faciant videbimus. Et
probat, quod his quæ in merâ facultate consistunt nullo tempore
præscribi possit arg. L. viam publicam. 2. de via publ. & itin. publ.
refic. L. præscriptio. 45. de usurp. & usuc. junct. L. si quisquam.

F 2

7. de

*Matth. Berlich. in Glos. p. 111.
Præscriptio. p. 111. p. 111.
p. 111.*

Non de Præscriptio

7. de divers. temp. præsc. L. ult. C. com. divid. L. 1. in fin. C. de
anna excep. & generaliter traditum: nunquam libertatem rei u-
suci, quamdiu nihil novi fit in re, sed eodem quo ante modo res pos-
sidentur. L. hæc autem. 6. cum se. de serv. præd. urb. d. L. si quis-
quam. de divers. temp. præscr. & neminem opinione saltem suâ
sibi causam possessionis mutare posse L. non solùm. § quod vulgò.
de usurpat. & usuc. Deindè celebre est hoc Commune Dd. placi-
tum: Juri implendi condicionem vel declarandi voluntatem nullo
tempore nequidem mille annis præscribi, ut est Gl. quam Commu-
niter Dd. sequuntur in L. petens. C. de pact. quia potestas ea est
naturalis facultas facti dependens à liberâ voluntate & arbitrio,
quod quisq; habet in re suâ; & sic condiciones quasdam in futu-
rum tempus collatas infinitum tempus continere testatur L. con-
dicionum. 91. de cond. & dem. Nec parum roboris ac firmitu-
dinis huic sententia accedit ex apertissimo textu L. 2. C. h. t. ubi di-
citur: valere pactum, ut quandocunque redimere liceat, quod
verbum infinitum tempus significare patet ex L. condicionum.
91. de condic. & dem L. si ita stipulatus. 55. de fidejusso. & ex do-
ctrina Bart. quam tradit ad L. sicut in annos. D. quib. mod. us-
amitt. Facit & L. quod si nolit. 31. §. si quid ita venierit. de
ædil. edict. ubi dicitur: si convenerit, ut in perpetuum redbi-
bere liceret, hanc conventionem servandam. Hac enim voce
tempus infinitum significatur L. si usufructus. 8. de usufr. lega.
L. de accessionibus. 14. in pr. de divers. & tem. præscr. L. edita.
3. C. de edend. L. 1. cum gl. verb. perpetua. de contrah. empt.
L. eum debere columnam. 33. de serv. urb. prædio. L. purè.
5. §. fin. de doli except. Sic cum verba contrahentium apta
sunt significare infinitatem, ut hæc verba, de quibus diximus,
& similia, tunc infinitas admittitur L. cum quidam. 17. de
usur. L. si ita stipulatus à Seio. 55. de fidejussor. cum alleg.
à Tiraq. de retr. conv. §. 1. gl. 2. num. 19. Præterea quando-
cunque quid alicui sub condicione debetur, in eo nulla currit tem-
poris præscriptio, nisi postquam condicio extitit L. cum notissimi.
7. §. illud autem. C. de præscr. 30. vel 40. annor. retrovenditio
verò non competit, nisi cum condicio impletur, & offertur precium
d. L. 2. hîc. ideòque nec antè præscribi jus illud potest. Firmat
insu-

insuper nostram conclusionem, quod possidens rem cum pacto redimendi venditam omnibus tribus requisitis usucapionis destituitur: Nam I. Titulum non habet perpetuum, sed ad alterius libitum resolvendum, quod perinde est, ac titulum non habere. E. g. in agris vectigalibus in perpetuum locatis vel in emphyteusim datus prescriptionis stabile fundamentum non oriri docemur in L. 2. C. de præscr. 30. vel 40. annor. Item in rebus fideicommissaria restitutioni subjectis, restitutioni ex eo non præscribitur, quod ea diu non petita est, sed tempus conditionis expectari debet Franc. Balb. de præscr. 5. part. 5. princ. quæst. 5. num. 1. & se. Sic etiam in consensu argumento Emtionis sub L. Commissoria contracta ante eventum ejus legis & conditionis usucapionem non procedere ait Sabinus J.C. in L. 2. §. si sub conditione. 2. in fin. pro emto. ut omnino adpareat, titulum in materia prescriptionis revocabilem vel nullum pro eodem esse. II. Possessionem non esse formam constat exinde, quia facultas naturalis & liberum arbitrium non possidetur, neque sanè nondum declarata voluntatis ulla qualitates poni possunt L. manumissiones. 4. de just. & jur. cum facta antequam fiunt in rerum natura non existant L. 1. de oper. servo. Et in hujusmodi facultatis actibus prescriptio non procedit, nisi per prohibitionem factam de animi consensu sensim prohibitioni acquiescentis incipiat liquere, ut tradunt Bologn. & Dd. in L. petens. C. de pact. arg. L. hæc autem. 6. de serv. urb. prædio. III. In bona fide esse non videtur qui scit sequandocumque venditori reemere volenti recedere debere, ut perpetuo sua esse non possit arg. L. bonæ fidei 109. de V. S. & quamvis post 30. annos præsumatur bona fides, tamen ea præsumptio contrariâ probatione qualitatis tituli eliditur L. 2. C. de præscr. 30. vel 40. anno. L. ult. C. ne rei dominicæ & c. & hoc, quamvis aliàs contrariæ opinioni consentiat, agnoscit & recipit. Covarruv. lib. 1. resol. c. 9. num. 6. Molin. de usur. num. 409. Sic maritus, quamvis dominus L. in rebus. C. de jur. dot. interdum tamen mala fidei possessor dicitur in pr. L. si uxor. 19. de don. int. vir. & ux. Denique hanc opinionem conscientiam tutiorem vocat ex Alex. & Chassan. Rol. à Vall. conf. 21. vol. 2. num. 23. Sic Henr. Gøden conf. 82. num. 9. dicit se ita sæpius in practica tervari vidisse, qua facit, ut

excludatur iniquitatis praesidium & tutus peccandi locus removeatur, ut sunt verba de praescriptione scripta in Nov. 10. Communio-rem & veriore[m] testatur Chassan. in rub. des rentes. §. 1. gl. 1. num. 10. Anton. Gabr. lib. 5. reg. concl. 6. num. 6. In summo etiam Imperii Romani Consistorio, duobus testibus oculatis Mynsingero & Gailio id attestantibus, illa est recepta, usu comprobata, & demum Elect. Const. 1. part. 2. quo tandem omnis faceretur dubitatio, roborata. Unde ex vulgato illo: plus credendum esse Mariae veraci, quam Judaeorum turba fallaci, dicit Virgil. Pingiz. quaest. 41. num. 25. plus credendum esse in proposito Camerae Imperiali & Augusto Saxon. Electori, qui omnia jura in scrinio pectoris habere censentur, quam ceteris omnibus, qui eis contradicunt, & Affirmativam sententiam mordicus tueri conantur.

LX.

Atq; locus erit dicta Constitutioni Electorali, sive simpliciter de redimendo fuerit conventum, sive quandocunq; libuerit, & neutro casu locus erit praescriptioni, missa distinctione Dd. qua plurimi hosce casus a se invicem solent separare. Constat enim hoc ex verbis Lis. nostrae, ubi vox quandocunq; reperitur, quasi hoc perpetuo huic pacto insit, ut cum libuerit redimere liceat, Nec expressum quid novi inducit, quoniam quae tacite insunt, si exprimantur nihil mutant in re, nec novam formam inducunt. L. condiciones extrinsecus. 99. de cond. & dem. L. cotinnuus. 137. §. cum ita. L. interdum. 73. de V. O. Et sane credendum est in d. L. 2. hujus pacti propriissimam naturam expositam, quasi semper hoc agatur, ut quandocunq; libuerit redimere liceat. Et ex jure praescripto & natura contractus sumendum est, quod agi videtur L. nec enim. 6. D. de solut. sic in L. si vir uxori. 12. de praescr. verb. videmus exprimi condicionem: si vellet, quae verba extensiva dicuntur in L. filii. 6. ad SC. Tertyll. & Orfic. & tractum habere in L. si quis stipulatus 112. de V. O. Et tantum de Pacto Retrovendendi pro ingenui mei tenuitate, non pro materiae dignitate impresentiarum dicta sufficiant: Non pigebit autem sicubi hasito, quaerere, & sicubi erro, discere.

SOLI DEO GLORIA.



ULB Halle

3

005 132 665



V017







4741.

M

Conclusiones 1623, 1 7

De

PACTO RETRO- VENDENDI,

Quas

DEO OPT. MAX. ADJUVANTE

*Auctoritate & decreto Magnifici & Ctorum Ordinis
in celeberrima Academia JENENSI,*

PRÆSIDENTE

Magnifico, Amplissimo & Consultissimo VIRO

Dn. ORTOLPHO FOMANNO

Jcto, P.P. Facultatis Juridicæ Ordinario, Curia
Provincialis uti & Scabinatus Adessore me-
ritissimo &c.

*Pro Summo in Utroq; Jure Gradu
consequendo*

Publicè examinandas proponit

JOHANNES HEIGIUS.

ad diem 12. Julij.

J E N Æ

Typis STEINMANNIANIS.

Anno M. DC. XXIII.

6

